~~Jus. 1200 a. b.~~
J. Feud. 18.b J. L. Boehmer

<36637805250013

<36637805250013

Bayer. Staatsbibliothek

GEORGII LVDOVICI BOEHMERI
POTENT. M. BRITANNIAE REGI ET PRINCIPI ELECTORI BRVNSV. LVNEB.
A CONSILIIS IVSTITIAE INTIMIS ET IVRIS ANTECESSORIS PRIMARII
IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

PRINCIPIA
IVRIS FEVDALIS
PRAESERTIM LONGOBARDICI

QVOD

PER GERMANIAM OBTINET

EDITIO QVINTA EMENDATIOR.



CVM PRIVILEGIO ELECT. SAXONICO.

GOETTINGAE
APVD VANDENHOECK ET RVPRECHT.
CIƆ IƆ CC LXXXIX.

Bayerische
Staatsbibliothek
München

DVVMVIRIS
MERITIS IN PATRIAM DIGNITATE
ET OMNI VIRTVTIS LAVDE
CONSPICVIS
VIRO ILLVSTRI
IOANNI EVERHARDO
MEIER
POTENTISSIMI MAGNAE BRITANNIAE REGIS
A CONSILIIS IVSTITIAE INTIMIS
ET SECRETARIO INTIMO

NEC NON
VIRO ILLVSTRI
IOANNI FRIDERICO
MEIER
POTENTISSIMI MAGNAE BRITANNIAE REGIS
SECRETARIO INTIMO

SOCERO VENERANDO

PIETATIS ET OBSERVANTIAE IN VTRVM-
QVE TESTANDAE CAVSA
CVM PERENNIS FELICITATIS VOTO
CAL. MAII CIↃIↃCCLXV.
D. D. D.
ILLVSTRIVM NOMINVM
SIBI AMABILIVM VENERABILIVMQVE

cultor pietate et obseruantia
nemini secundus
GEORGIVS LVDOVICVS BOEHMER.

PRAEFATIO.

Dum libellum, qui nobiliſſimae iurisprudentiae partis principia complectitur, in publicum prodire patior, non minus Tibi, *Beneuole Lector*, conſtare cupio, quam in eo concinnando ſeruauerim rationem. Quod omnino in omni iurisprudentia praecipuum fert momentum, id mihi hoc loco propoſitum fuit, vt tum argumentorum *fontes* eosdemque *certos* conſectarer, memor eius, quod ſcripto ſingulari monuit GRIBNERVS, acutiſſimus ICtus, ius ipſum incertum fieri ex legum, quibus vtimur, in dubium temere vocata auctoritate, tum vt argumenta ipſa in vſum ſcientiae ad ſua reuocarem *principia*, in quorum intelligentia concluſionumque cum illis cohaerentia vel maxime poſita eſt omnium ſcientiarum ratio. In vtroque conſilio ſecutus ſum ICtos, quorum in hanc iurisprudentiae partem merita veneror, ſcientiam ſuſpicio, nihil mihi tribuens, quam quod eorum luminibus inſtructus periculum facere ſuſtinuerim laboris opportuni et fructuoſi vel ſaltim ab officii mei rationibus haud alieni.

Inter praecipuos iuris feudalis, quod per Germaniam viget, fontes habeo *ius Longobardicum*, idque vi receptionis, qua ei vis et auctoritas acceſſit per Germaniam. Facta eſt eius receptio eo aeuo, quo Ger-

mania fere iam erat feudalis, feudisque abvndabat publicis et priuatis; quo non deerat ius, cum ipſis feudis natum, in *moribus* tamen poſitum, *curiarumque ſingularum feudalium* obſeruantia cultum definitumque; quo et vigebant inſtituta clientelaria, non modo cognationem maximam habentia cum Longobardicis, verum etiam peculiaria multa et Germanorum propria.

Quae iuris patrii facies facile locum dedit iuri peregrino recipiendo, cauſisque Germanorum clientelaribus applicando: non tamen eo pertinuit eius receptio, vt vna cum eo adoptata ſint *inſtituta feudalia*, Longobardis propria, inſtituta, formulam Longobardici regni, nexumque addictiſſimum, quo Regi obſtricti erant vaſalli maiores, nec non vaſallorum ordines aliaue ſimilia concernentia; multoque minus obliterata et antiquata ſint inſtituta clientelaria Germanorum propria. Quantum inter *iura gentis* et inter eius *inſtituta*, tantum interceſſit discrimen inter receptum *ius Longobardicum* et inter *inſtituta Longobardorum*: quibus non adoptatis, fruſtra de iure quaeritur, quo haec inter Longobardos regebantur.

Seruata praeterea ſunt Germanis et diligenter exculta inſtituta clientelaria Germanorum *propria*, Italis ignorata; et quae de his conſtituta erant iura, *ipſa obſeruantia* curiarum feudalium legibusque domeſticis

ſunt ſeruata. Horum intuitu ſubſidia cognitionis praeſtant morum feudalium collectiones, medio aeuo adornatae: quae quamquam iuris auctoritate careant, ex his tamen perinde ac ex aliis medii aeui monumentis patriique iuris hiſtoria iucundum eſt inſtitutorum clientelarium origines, feudorum Germanicorum proprietates, iurium particularium in curiis feudalibus obviorum rationes, nexum inter imperium et imperii vaſallos et inter prouinciam et provinciae vaſallos, ſeruitiorum feudalium inveſtiturarumque rationes indagare; quibus perſpectis, iurium, a tanto tempore ipſa obſeruantia, legibus particularibus pactisque clientelaribus ſeruatorum, ſua poſſit conſtare ratio. Quanto plus debetur antiquitatum clientelarium cultoribus, quorum induſtria excultum eſt, quidquid pertinet ad res Germanorum feudales illuſtrandas: tanto magis par eſt, interpretem his praeſidiis munitum accedere ad inſtituta iuraque clientelaria patria explicanda.

Quae cum ita ſint, inſtituti rationem ſimul expoſitam eſſe intelliges, *Beneuole Lector*, cur *principia iuris feudalis*, *praeſertim Longobardici*, *quod per Germaniam obtinet*, ſpecimine qualicunque pertractare conatus ſim. Iuris feudalis, quod *per Germaniam* viget, ambitus latius omnino patet iure Longobardico, quod locum vnum oc-

cupat inter fontes vna cum iuribus domesticis, consuetudinariis et scriptis. E contra ius Longobardicum, quoad ex formula et vsu regni Longobardici aestimatur, latius patet illa velut eiusdem parte, quae ex eodem recepta adplicataque est ad feuda Germaniae: idque fere Italum interpretem exigit. Eminent inter Germaniae feuda *publica feuda*, quibus sua constat specialis ratio, quod dominium directum, si spectes ad feuda Imperii, sit penes Imperium Romano Germanicum, sin respicias ad feuda publica prouincialia, id coniunctum sit cum territorio Imperii: cum quibus non omnino conueniunt, quae de his habet Ius Longobardicum, ceu apprime exposuit IO. ADAMVS KOPP in suis speciminibus iuris feudalis Germanici, maxime specimine secundo. Denique in Germaniae feudis plus datum est *imperio ciuili circa feuda*, vi cuius ea, quae ad feuda attinent, ex salutis publicae rationibus definiuntur, et quae vi solius dominii directi constitui non poterant, *vi imperii ciuilis* efficiuntur. Est illud in plerisque feudis publicis coniunctum cum dominio directo; idque in feudis Imperii est ius maiestaticum, et in feudis prouincialibus ius imperii territorialis, vtrumque cum dominio directo publico ita vnitum, vti fert vel Imperii vel territorii formula. Vi illius non minus ea, quae ad decus feudorum

dorum publicorum pertinent, conſtituta, quam et alia, quae ad iura vaſallorum in feudis prouincialibus, in territorio ſitis, circumſcribenda pertinent, definita eſſe intelligimus.

Quamquam vero in exponendo tantum iure feudali, quod *per Germaniam*, non vero quod per ſpecialia Germaniae territoria vel per certas curias clientelares viget, pedem figere conſtituerim: ampliſſimus tamen non minus eſt illius ambitus, cum verſetur in definiendis iuribus et obligationibus, quae *circa feuda Germaniae*, eaque publica et priuata, prouincialia et imperii feuda vniuerſim obtinent. Solent fines cuiuslibet iurisprudentiae partis, pro vario ſcopo interpretum, gemina praeſertim ratione conſtitui, vel ratione *legum*, quibus definiuntur iura et obligationes, vel ratione *obiecti*, de quo haec conſtituuntur. Cum prius maxime vſu venire ſolet in iurisprudentia naturali, cuius ambitu continetur, quidquid per naturam et eſſentiam rerum, ideoque legibus naturae, determinatur: tum poſterius magis iurisprudentiae poſitiuae accommotadum eſſe videtur, nihilque magis opportunum, quam fines vniuscuiusque iurisprudentiae partis regere per ipſum *obiectum*, de quo leges praecipiunt, legibusque vti, ceu *fontibus*, ex quibus iura et obligationes in eodem argumento deducan-

tur. Idem dudum placuit ICtis in eius iurisprudentiae, quae de feudis Germaniae praecipit, finibus constituendis: maxime cum feuda Germaniae, siue sint publica siue priuata, siue prouincialia siue Imperii feuda, eodem iure communi regerentur; nisi vbi in vna alteraue eorum specie iura peculiaria et propria statuta esse appareret.

Quod quamquam et mihi propositum fuerit: parum tamen conuenire visum est, iura feudorum imperii intermiscere tractationi feudorum generali. Vti quae ad genus pertinent, ab his, quae ad speciem eius definiendam spectant, seiungere par est: ita ius feudale, quod in genere feudorum vniuersim obtinet per Germaniam, prius pertractare, et deinceps eminentem eius speciem, *ius feudorum imperii*, separatim expendere commodum visum est, vt quae sunt horum iura peculiaria, eo explicatius traderentur. Quaecunque iura itaque spectant ad feuda Germaniae, siue haec sint principalia et subfeuda siue feuda publica et priuata, in iure feudali generali eodem loco tractari et coniungi possunt, ad quem pertinent ex argumenti ratione: tum quod vel illa eodem iure communi feudali regantur, tum si quae sint eorum specialia iura, illa eodem loco exponere praestet.

Habes inde, *Lector Beneuole*, rationem partitionis libelli, in cuius libro I. ius feudale

dale Germanicum *generale*, et in libro II. *ius feudorum imperii* eo ordine expoſitum eſt, quem ſiſtit libelli conſpectus, in eius fronte propoſitus. His fruere, *Beneuole Lector*, conatusque qualescunque de hac parte iurisprudentiae bene merendi aequi bonique conſule.

Scripſi haec, cum Cal. Maii anni CIƆIƆCCLXV. primum in lucem prodirent haec elementa: quorum *alteram* editionem anno CIƆIƆCCLXVII *tertiam* editionem anno CIƆIƆCCLXXV et *quartam* a. CIƆIƆCCLXXXII adornandam curaui.

Dum in lucem prodit *quinta* eiusdem libelli editio, nec in ea quidquam eorum praetermittere conſilium fuit, quae ad eam inſtructiorem faciendam poſſent pertinere. In ordine totius ſyſtematis nihil immutaui: quidquid vero in ſingulis argumentis vel praetermiſſum vel minus recte dictum eſſe cognoui, in eo vel ſupplendo vel emendando rectiusue exponendo animum defixi. Fautorum beneuolentiae debeo, quam in mantiſſa documentorum N. XVII. a) exhibui relationem ex authentico deſcriptam, de inueſtitura, quam inter ſolennitates, maieſtatem imperialem repraeſentantes, peregit CAROLVS V. Imp. cum fratrem FERDINANDVM I. Hungariae et Bohemiae regem de feudis imperii Domus Auſtriacae apud caſtrum Wellenburgenſe prope Au-

guſtam

gustam Vindelicorum anno 1530. inuestiret, eodem, inquam, anno, quo ab eodem Imperatore in curia feudali solenni, Augustae Vindelicorum habita, coram solio Imperiali inuestituram feudorum imperii non minus splendido apparatu instructam sub dio accepisse leguntur Georgius et Barnimus, Pomeraniae Duces et Gualterus Cronbergius Summus Ordinis Teutonici per Germaniam Magister: cuius inuestiturae solennia *Goldastus* in Politicis Imperialibus Part. VI. §. 3. 4. p. 361. recensuit. Quod vero *illa*, non perinde ac *haec*, in ipsis Comitiis Augustanis celebrata sit, eius ratio ex eo intelligitur, quod ad priuilegia Domus Austriacae pertineret, archiduces Austriae non nisi in terris suis accipere teneri inuestituram feudorum imperii. Visum itaque est Imperatori, inuestituram dare Ferdinando apud castrum Wellenbergense, in Burggrauiatu Burgauiensi prope Augustam Vindelicorum sito: inter cuius solennia, ex iisdem priuilegiis praecipua, et hoc pertinuit, quod Ferdinandus tecto capite, et pileo vtens archiducali, equo insidens, et manu sceptrum tenens, inuestituram acceperit. Narrationem ampliorem de eadem inuestitura, eodem anno typis impressam, exhibet *Lunigius* in Corpore iur. feudal. tom. I. p. 709. Dab. in Academia Georgia Augusta Cal. Maii CIↃ IↃ CCLXXXIX.

CON-

CONSPECTVS.

Praecognita iuris feudalis.

De iure et iurisprudentia feudali. Cap. I.

De origine et incrementis feudorum. Cap. II.

De fontibus iuris feudalis, in ſpecie de iure feudali Longobardico et eius receptione, et de collectionibus iuris feudalis Germ. antiqui. Cap. III.

PARS SPECIALIS.

Lib. I. *Ius feudale Germanicum generale.*

Sect. I. *De conſtitutione et acquiſitione feudi.*

A. *De eſſentia et natura feudorum.* Cap. I.

B. *De infeudatione in genere*, tam per dationem, quam praeuia oblatione, nec non per primam infeudationem et per reinfeudationem. Cap. II.

In infeudatione ſpeciatim conſiderantur

I. *Res, in quibus feudum conſtituitur*, tum in genere tum ratione ſpecialis obiecti infeudati, ex quo oriuntur ſpecies feudorum. Cap. III.

II. *Perſonae, feuda conſtituentes*, vel infeudando de nouo, vel reinfeudando. Cap. IV.

III. *Perſonae, quibus feudum conſtitui poteſt.* Cap. V.

IV. Ipſa conſtitutio feudi vel *vera* vel *ficta.*

A. *Vera* conſtitutio feudi

I. ratione modi illud conſtituendi

1) *immediate per inueſtituram.* Cap. VI.

2) *mediate per ſucceſſionem*, vi inueſtiturae factam,

a. *legitimam*, ſeu iure communi definitam,

1) quoad eius *naturam et indolem.* Cap. VII.

2) quo-

2) quoad *ordinem ſuccedendi*,

tum *legitimum*, iure communi definitum, *inter deſcendentes et collaterales.* Cap. VIII.

tum *ſpecialem*, diſpoſitione ſpeciali inter ſucceſſores definitum. Cap. IX.

b. *ſpecialem*, inueſtiturae ſpeciali innixam, qualis eſt

1) ſucceſſio ſpecialis tam *ex ſimultanea inueſtitura* Cap. X.

2) quam *ex inueſtitura euentuali et expectatiua.* Cap. XI.

II. ratione *modi feudum conſtitutum conſeruandi per renouationem inueſtiturae.* Cap. XII.

cuius acceſſoria ſunt *praeſtationes intuitu inueſtiturae faciendae.* Cap. XIII.

B. *Ficta* conſtitutio feudi *per praeſcriptionem.* Cap. XIV.

Sect. II. *De iuribus et obligationibus ex feudo conſtituto deſcendentibus.*

I. *De iuribus domini et obligationibus vaſalli*

1) in genere Cap. I.

2) in ſpecie

a) circa *ſeruitia militaria.* Cap. II.

b) circa *ſeruitia non militaria.* Cap. III.

II. *De iuribus vaſalli ex feudo conſtituto*

a) in genere Cap. IV.

b) in ſpecie

1) *circa alienationem feudi*

a) *de iure ipſius vaſalli circa eam.* Cap. V.

b) *de iure domini et ſucceſſorum feudalium circa feudum alienatum.* Cap. VI.

2) *circa conſtitutionem ſubfeudi.* Cap. VII.

3) *cir-*

3) *circa testamentifactionem de feudo et circa pacta successoria.* Cap. VIII.

4) *de iuribus et obligationibus vasalli impuberis eiusque tutela.* Cap. IX.

III. *De obligatione Domini et vasalli*

1) *erga alios ex debitis intuitu feudi contractis*

tum in genere Cap. X.

tum in specie quoad praestandum dotalitium et alimentariam prouisionem Cap. XI.

2) *erga heredes allodiales intuitu separationis allodii a feudo* Cap. XII.

Sect. III. *De modis tollendi nexum feudalem.*

I. *De modis amittendi feudum.* Cap. I.

II. *De modis finiendi feudum.* Cap. II.

Sect. IV. *De iudicio faudali.*

Lib. II. *Ius feudale Germanicum speciale de feudis Imperii.*

Sect. I. *De constitutione et acquisitione feudorum imperii.*

a) *De feudis imperii in genere* Cap. I.

b) de infeudatione, in qua agitur

I. *de bonis imperii infeudandis* Cap. II.

II. *de iure imperatoris circa constituenda feuda imperii* Cap. III.

III. *de vasallis imperii* Cap. IV.

IV. de ipsa constitutione feudorum imp. vel *vera* vel *ficta.*

A. *Vera constitutio* feudorum imp.

a) ratione modi illa constituendi

1) *per*

I) *per inueſtituram.* CAP. V.

II) *per ſucceſſionem*

1) *legitimam*,

quoad eius indolem. CAP. VI.

quoad *ordinem ſuccedendi* legitimum et ſpecialem. CAP. VII.

2) *ſpecialem ex inueſtitura ſimultanea, et euentuali nec non ex expectatiua.* CAP. VIII.

b) ratione modi feudum imp. conſtitutum *conſeruandi per renouationem inueſtiturae* CAP. IX. De acceſſoriis inueſtiturae, hoc eſt, de *praeſtationibus intuitu inueſtiturae de feudis imp. faciendis* CAP. X.

B. *ficta* conſtitutio per *praeſcriptionem* CAP. XI.

SECT. II. *De iuribus et obligationibus ex feudis imperii conſtitutis deſcendentibus.*

I. *De iuribus domini et obligationibus vaſallorum intuitu feudorum imperii.* CAP. I.

II. *De iuribus vaſallorum imperii ex feudo conſtituto deſcendentibus*

a) in genere CAP. II.

b) in ſpecie *intuitu vaſalli impuberis eiusque tutela feudali* CAP. III.

III. *De obligatione ſucceſſoris erga alios in feudo imperii* CAP. IV.

SECT. III. *De modis amittendi et finiendi feuda imperii.*

PRINCI-

PRINCIPIA

IVRIS FEVDALIS

PRAESERTIM LONGOBARDICI QVOD PER GERMANIAM OBTINET.

PRAECOGNITA IVRIS FEVDALIS.

CAP. I.

De iure et iurisprudentia feudali.

ARGVMENTVM.

§. 1. *Fidelitas.*
2. *Feudum.*
3. *Contractus feudalis.*
4. *Feudum publicum vel priuatum.*
5. *Ius imperii ciuilis circa feuda.*
6. 7. *Ius feudale naturale et positiuum.*

§. 8. *Feuda Germaniae Publica et Priuata.*
9. *Ius feudale Germanicum.*
10. *Eius fontes,*
11. *et adminicula.*
12. *Iurisprudentia feudalis Germanica.*

§. 1.

FIDELITAS in ſenſu eminenti eſt *praeſtatio officiorum, in commodum alterius ſpeciatim ſuſceptorum, maxime illorum, quae in eodem non laedendo et in laeſionibus aliorum ab eo auertendis*

confiſtunt. Varia eſſe poteſt, prout vel per nexum *ſubiectionis*, vel alia ratione determinatur, veluti vel per *miniſterii conceſſionem*, vel per ſpecialem *conuentionem* (*a*). *Realis* dicitur fidelitas, quae ratione bonorum debetur, *perſonalis* vero, quae debetur nulla habita bonorum ratione.

(*a*) Conf. *Obſeruationes* meas *iuris feudalis Obſ. III. de natalibus fidei vaſalliticae §.* 1. 2. *Fidelium* nomen olim commune fuit *ſubditorum*, *miniſterialium*, et *vaſallorum. Chantereau Louis le* FEBURE *tr. des Fiefs et leur origine p.* 280. Paris 1662.

§. 2.

FEVDVM eſt *dominium vtile certae rei, quod, retento dominio directo, alteri conceditur ſub obligatione mutuae fidelitatis ſpecialis.* Ita accipitur pro *iure* (*a*): quamquam non minus frequenter accipiatur pro *re* (*b*), eo, quo dictum eſt, modo *in dominium vtile data. Dominus feudi* eſt, penes quem dominium feudi directum, et *vaſallus*, penes quem dominium vtile eſt ſub nexu fidelitatis. Quae intuitu feudi debetur, *fidelitas feudalis* eſt, eaque ideo *realis.*

(*a*) I. F. 25. II. F. 1. §. 1. *Vſusfructus* vocatur II. F. 23. eodem ſenſu ac dominium vtile: namque Vaſallo *tamquam domino* tribuitur *ius vindicandi* II. F. 8. Vſum vocis *dominii directi* et *vtilis* in diplomatibus ſec. XIV. iam obſeruare licet in *Chriſt. Lud.* SCHEIDT. tr. *vom Adel* p. 275. et in deduct. de *dominio et aduocat. Molnenſi* in *app. p.* 66. Iure Germanico notio *dominii* non eſt adſtricta ad res *corporales*, eaque compre-

prehendit tam *dominium*, quam *quasi dominium rerum incorporalium*.

(*b*) I. F. 6. §. 2. I. F. 26. I. F. 8. §. 1. II. F. 22. 28. 52. Feudi definitiones, a Doctoribus propositas, sub censuram vocant *Io. Petr. de* LVDEWIG *de iure clientelari cap. IV.* et *Henr. Chr. de* SENCKENBERG in *primis lineis iur. feud. P. II. cap. VII.* quamquam nec satisfaciat definitio, ab ipsis exhibita.

§. 3.

Contractus feudalis est, quo dominium vtile certae rei, retento dominio directo, alteri conceditur sub nexu mutuae fidelitatis. Per contractum feudalem determinantur *iura* et *obligationes* circa feudum, ideoque *conuentionalia* sunt. *Negotia*, quae iura et obligationes circa feudum concernunt, generatim *feudalia* dicuntur.

§. 4.

Feudum vel PVBLICVM est, *cuius dominium directum est penes rempublicam eiusque imperantem*; vel PRIVATVM, *cuius dominium directum est alicuius priuati;* siue is sit persona singularis siue moralis, veluti vniuersitas. Iura et obligationes, circa *feudum* tam *publicum* quam priuatum sua natura conuentionalia sunt (§. 3.). Feudum publicum in genere vel est *in territorio* vel *extra territorium*, prout vel constitutum est *in territorio eiusdem reipublicae*, *penes quam est eius dominium directum*, vel *in eodem non est constitutum*. Ad

posterius pertinet tam feudum publicum in *alieno territorio*, quam feudum inter *gentes inter se;* in quo iura et obligationes circa feudum tantum sunt conuentionalia (*a*).

(*a*) *Mich. Henr.* GRIBNER de *dominio directo in alieno territorio. Tom. IV. Op. p.* 101. *Henr. Gottl.* SCHEIDEMANTEL de *nexu feudali inter gentes Ienae* 1768.

§. 5.

Feuda *publica eiusdem territorii* et feuda *priuata* simul subsunt imperio ciuili eiusdem territorii: eaque pars imperii ciuilis, quod versatur circa feuda in territorio constituta, est *imperium ciuile circa feuda*, *Lehns-Hoheit.* Insunt eidem omnes partes imperii ciuilis, quae fundantur per inspectionem sublimem in feuda territorii, et maxime concernunt legislatoriam et iudiciariam potestatem (*a*).

(a) *Dan.* NETTELBLADT in *syst. iurisprud. naturalis libr. IV. Sect. I. tit.* 2.

§. 6.

IVS FEVDALE est *complexus doctrinarum, in formam artis redactarum, de iuribus et obligationibus, quae feuda concernunt.* Ius feudale vel *naturale* est vel *positiuum*, prout iura et obligationes circa feuda vel per *essentiam et naturam feudi* determinantur, vel *per voluntatem alicuius speciatim* declaratam (*a*).

(*a*) Iu-

(*a*) Iuris feudalis naturalis paediam dedit *Ge. Sam.* TREVER in *Parergis Goettingensib.* tom 1. lib. 3. p. 78. Illud tractant *Christ. L. B. de* WOLF in *Iure Nat. tom. VI. c. II. Regner.* ENGELHARDT in *specim. iur. feud. naturalis. Dan.* NETTELBLADT in *Syst. Iurispr. Natur. P. I. lib. II.*

§. 7.

Fontes iuris feudalis *positiui* sunt tum *leges feudales*, tum *legitimae dispositiones priuatorum.* Neque id in totum à iure feudali naturali recedit, nec per omnia ei inseruit; sed ei vel aliquid addit vel detrahit. Varium et multiplex est pro diuersitate legum feudalium cuiusque ciuitatis (*a*).

(*a*) De feudis Angliae et Galliae vid *Thom.* CRAGII *ius feudale Angliae et Scotiae* Edimburgi a. 1655. et ex edit. *Menckenii* Lipſ. 1716. *Denis de* SALVAING *de l'Usage des Fiefs.* Grenoble 1731. BRUSSEL *examen de l'Usage general des Fiefs en France.* Paris 1727. Tom. II. *Traité des Fiefs par Claude* POCQUET, Paris 1741. et par Mr. BILLECOQ, Paris 1749.

§. 8.

Abundat GERMANIA feudis tam *publicis* quam *priuatis* (§. 3.). Ad PVBLICA pertinent I. FEVDA IMPERII, *quorum dominium directum est penes Imperium Rom. Germ.* eoque nomine simul *penes Imperatorem*, et II. FEVDA PROVINCIARVM IMPERII, *quorum dominium directum pertinet ad territorium Germaniae et ad territorii Dominum* (*a*). Sunt haec duplicis generis: alia *Landsassiaca*, quae simul subsunt superioritati ter-

A 3 rito-

ritoriali eiusdem prouinciae, penes quam eorum eſt dominium directum, alia *non Landſaſſiaca* ſeu feuda *prouincialia in ſpecie* ſic dicta *Landes-Lehen*, quae eidem non ſubſunt: ad quae pertinent tam feuda *prouincialia extranea*, in alieno territorio conſtituta, quam *feuda Statuum Imp. aliorumque Immediatorum*, ratione bonorum Imp. immediatorum, quae ſunt in nexu feudali alicuius territorii Germaniae (*b*).

(*a*) *Io. Ad.* KOPP *Proben des Teutſchen Lehnrechts Part. II. obſ* 2. §. 2. 5.

(*b*) I. I. MOSER *von der Teutſchen Lehens-Verfaſſung* integro libr. II.

§. 9.

IVS FEVDALE GERMANICVM eſt *complexus doctrinarum, in formam artis redactarum, de iuribus et obligationibus, quae concernunt feuda Germaniae.* Fines eius definiuntur *per obiectum*, quod ſunt feuda Germaniae, tam *publica*, quam *priuata.* Hoc intuitu eſt vel GENERALE, *quod non eſt adſtrictum ad certam ſpeciem feudorum Germaniae*, ideoque in his in genere obtinet, vel SPECIALE, *quod adſtrictum eſt ad certam ſpeciem feudorum Germaniae;* cuius eminentior ſpecies eſt IVS FEVDORVM IMPERII.

§. 10.

§. 10.

Eſt porro vel *commune*, quod in regula obtinet per Imperium R. G., vel *particulare*, quod non niſi obtinet per certam partem Germaniae: idque iterum vel *prouinciale* eſt, vel *locale*, veluti certae curiae feudalis. *Fontes* iuris feudalis Germanici *communis* ſunt Ius *feudale Longobardicum*, per Germaniam receptum, *conſuetudines Germaniae feudales* vniuerſales, *iura imperii communia*, in ſanctionibus Imperii, in iure Romano et Canonico comprehenſa. Fontes ſpeciales *iuris particularis* ſunt *conſtitutiones feudales* prouinciarum Germaniae, nec non *conſuetudines* feudales particulares (*a*).

(*a*) Recenſum iurium feudalium particularium exhibet *Io. Iac.* MOSER *von der Teutſchen Lehens-Verfaſſung lib.* 3. *cap.* 2. Collectionem ſcriptorum, quae argumenta ſpecialia iuris feudalis, maxime particularis, tractant, edidit *Gottl. Aug.* IENICHEN in *theſauro iur. feud.* tom III. Franc. ad M. 1750.

§. 11.

Adminicula iuri feudali Germanico addiſcendo et excolendo praeſtant ius feudale naturale, antiquitatum Germanicarum inprimis medii aeui notitia, linguae antiquae Germanicae notitia (*a*), hiſtoria imperii R. G., lectio diplomatum actorumque feudalium, cognitio literaria ſcriptorum feudalium (*b*).

 (*a*) *Io.*

(a) *Io Sam.* BRVNNQVELL *de vſu linguae Germanicae in iure feudali.* *Io. Ge.* WACHTERI *Gloſſarium Germ.* *Chr. Gottl.* HALTAVS *Gloſſ. Germ. med. aeui.*

(b) *Henr. Chr. de* SENCKENBERG *Prodromus iuris feudalis. cap. IV. et VI.*

§. 12.

IVRISPRVDENTIA FEVDALIS GERMANICA eſt *ſcientia practica de iuribus et obligationibus, quae concernunt feuda Germaniae.* Continet doctrinas tam *theoreticas* de *iuribus ipſis et obligationibus*, quae *feuda Germaniae* in genere, et in ſpecie *feuda Imperii* concernunt, quam *practicas*, de modo ineundi negotia feudalia. Ad has pertinent *cautelae feudales*, quae ſunt regulae de negotio feudali ita ineundo, vt de eius effectu ſecuri eſſe poſſimus: quarum ſcientia eſt *iurisprudentia feudalis cautelaris* (a). Haec quidem pertinent ad theoriam iuris feudalis. *Praxis* eius verſatur in arte, ſecundum principia iuris definiendi iura et obligationes, quae in caſu obuio ſingulari obtinent.

(a) Specimen, leue admodum, dedit *Chriſt. Henr.* MVHLPFORT in *Cautelis iuris feudalis* Erf. 1698.

CAP. II.

Cap. II.

De origine et incrementis feudorum.

ARGVMENTVM.

§. 13. *Origo feudorum ad Taciti tempora non referenda.*
14. *Beneficiorum, nec non*
15. *Vasallorum ratio apud Francos.*
16. 1) *Beneficia militaria per introductam successionem immutata sunt in feuda.*
§. 17. 2) *Non militaria beneficia adhuc distincta a feudis.*
18. *Incrementa feudorum* 1) *ex immutatione ministeriorum in feuda,*
19. 2) *ex oblationibus allodiorum.*

§. 13.

Feudorum origines non *externae* sunt, sed *Germanicae* (*a*): nec tamen repetendae a *comitibus* (*b*), quos TACITVS principibus obnoxios esse ait, quosue CAESAR tum clientes seu *ambactos*, tum deuotos, seu *soldurios* appellat (*c*). Omnes illi, potentiori cuidam ad quoduis officii vel obseruantiae genus obstricti, exempla exhibent *personalis fidelitatis* (§. 1.), non vasallos.

(*a*) GVNDLINGIVS in *Gundlingianis P. I. obs.* 1. *P. XV. obs.* 2. origines repetit a *beneficiis Romanorum*, quae tamen nihil aliud sunt, quam *praedia publica*, *sub lege certarum praestationum pleno iure donata priuatis in deuictis Rom. prouinciis. Io. Petr. de* LVDEWIG *de iure feud. Quaest.* 2. *et* 3. pro vasallis habet *beneficiarios Romanorum*, qui tamen nihil aliud erant,

 quam

quam milites, impetrata a militiae muneribus vacatione, ad officia magistratibus praestanda obstricti. De vtraque sententia egi in Praef. de *beneficiis Rom.* ad B. Parentis *Exercit. ad Pand. Tom. III.* §. 2. 10. Conf. *Ge. Christ.* GEBAVER de *originibus feudi, qua vocem, qua rem, non externis sed Germanicis.*

(*b*) Prout sentit *Car. Iac.* SPENER *in Primitiis obseruat. feudal. obs.* 1. *p.* 34.

(*c*) TACIT. de *morib. Germ.* c. 13. CAESAR *de bello Gall. lib.* 3. *c.* 22. *lib. VI. c.* 15. Conf. *Ge. Christ.* GEBAVER in *vestigiis iuris Germ. diss. V.* de *Comitatu principum Germaniae, p.* 93.

§. 14.

Vetustum *Francorum* et *Germanorum* institutum est, bona publica vtenda et fruenda dare pro officio: idque ius vtendi fruendi certis bonis, pro officio concessum, *beneficii* nomine venit. Beneficia rationem habent *officii* et *stipendii*: et pro officiorum diuersitate vel *militaria* sunt, vel *praefectoralia*, vel *palatina*, vel *iudiciaria*, vel *ecclesiastica* (*a*). Opponuntur *allodiis* Francorum, hoc est, bonis proprietatis iure possessis: quorum species sunt *terrae Salicae*, quae *Francis Salicis* obtigerant in *deuictis prouinciis* sub *immunitate a tributis*; quibus quippe obnoxii permanebant veteres incolae (*b*).

(*a*) *Io. Ad.* KOPP in *hist. iur. Part. IV. epoch. I. et II.*

(*b*) PITHOEVS *ad Leg. Salic. apud Steph.* BALVZIVM *tom. II. Capitul.* p. 704. Dissert. mea de *iurib. ex statu militari veterum Germanor. dependentibus cap. I.* §. 4.

§. 15.

Vassorum (a) et *vasallorum* significatus inter Francos late patet, et complectitur I. in genere eos, qui se ex more Francorum *commendant Seniori*, hoc est, *qui ad officia fidelitatis, patriae debita, sub eius ductu obeunda se obnoxios faciunt;* et II. speciatim eos, *qui in officio publico sunt constituti* (b). *Alterutra obligatio* effecit vasallum, non beneficii concessio (c): ideoque vasallorum fidelitas non nisi *personalis* fuit, ministeriali fidelitati similis.

(a) Vox latino-barbara, a *Gwas*, obnoxius, famulus *Ge.* HICKES in *Grammat. Franco-theodisca tom* I. *p.* 99. *Christ. Vlric.* GRVPEN *obseruat. rerum et antiquit. Germ. et Rom. obs.* 18. *p.* 334.

(b) vid. *obs. iur. feud. obs.* 2. *de feudis ex Franc. beneficiis enatis* §. 3. 4. *et obs.* 3. *de natalibus fidei vasall.* §. 5.

(c) GRVPEN *l. c. obs.* 18. *p.* 341. *Wilh.* ROBERTSON *Geschichte der Regierung Car. V. tom. I. p.* 270. *f.*

§. 16.

Beneficia Francorum non omnino pro iisdem habenda sunt cum *feudis*. Intercedit inter vtraque tale discrimen, quale est hodienum inter *feuda* et *beneficia* ecclesiastica (a). *Nata* vero ex iisdem sunt feuda, postquam regnante CONRADO SALICO *successio hereditaria* introducta est in *beneficiis militaribus* (b). In *his solis* inualuit primum

mum haec mutatio, vt ſub *lege militiae agendae* tranſirent in ſucceſſores; hique *intuitu beneficii*, ad eosdem deuoluti, vaſalli fierent, ad fidem non amplius iure officii, ſed ex *ipſa conceſſionis lege* obſtricti; eorumque *fidelitas* non modo fieret *realis*, ſed et ius vtendi fruendi hereditarium conuerteretur in *dominium vtile*. Itaque ex ipſis feudorum natalibus intelligitur, cur *in militia agenda* contineatur *praecipua ratio* eorum, quae de feudis cauentur. Seruatum iisdem eſt originarium *beneficii* nomen (*c*): quamquam frequentior eſſe coeperit appellatio *feodi* (*d*).

(*a*) *Ant. Lud.* MVRATORIVS *Antiquitat. Italiae medii aeui tom. I. p.* 552. BOUQUET *Droit Public de France tom. I. p.* 118. *Obſeruat.* meae *iur. feud. obſ. II. §.* 5.

(*b*) vid. Conſtitutio CONRADI SALICI data *Mediolani V. Cal. Iun. a.* 1037. apud *Ant. Lud.* MVRATORIVM *antiquit. Italiae t.* 1. *p.* 609. et in SENCKENBERGII *corp. iur. feud.* p. 432. WIPPO in *vita Conradi Sal.* apud PISTORIVM *tom. I. ſcript. rerum Germ. p.* 429.

(*c*) vid. Charta *Balduini*, Hannoniae Comitis, de ao. 1087. apud *Aub.* MIRAEVM *oper. diplom. tom. I. p.* 515. *Militibus, quibus contingit beneficium, quod vulgo dicitur foedum. Origines Guelfic. tom. III. p.* 481.

(*d*) Probabilis eſt, quam *Chriſt. Vlr.* GRVPEN l. c. inſtruxit, deriuatio feudi a *fide*, et voce Romano-Gallica *fe*, *fied*, *foi*, *fedum*, inde *foyal*, *feal* fidelis, *ſerment de feaute*, *faire feute et homage*, *feudum facere*, *tenere per fidem*, *dare et accipere in fide.* Conf. II. F. 3. *Fr. Car.* CONRADI de *nominibus Germ. feode et Lehen* apud IENICHEN in *Theſ. iur. feud. tom. I. p.* 561.

§. 17.

§. 17.

Contigit haec mutatio in beneficiis *militum* tam *maiorum*, quam *minorum:* nondum vero iſto aeuo interiit *priſtina* illa *beneficiorum conditio;* ſeruata adhuc in *beneficiis non militaribus*, ob officia honorifica, palatina, iudiciaria ſimiliaque conceſſis. Vnde ſollicite diſtinguuntur 1) bona *iure feudali* conceſſa, a bonis *iure officii*, *iure curiae*, *nach Hofe-Recht* datis *a*), et 2) *vaſalli* a *miniſterialibus*, qui ſe ſuosque obnoxios fecerant ad officia honorifica, imperanti vel alicui ex proceribus vel eccleſiae praeſtanda (*b*).

(*a*) *Auct. vet. de beneficiis cap. I. §.* 149. *I. Feud. Alem. c.* 113. *I. F. Sax. art.* 67. *Obſeruat. iur. feud. obſ. II. §.* 9. *obſ. IV. §.* 4. *Theoph.* KIND de *beneficiis iure curiae conceſſis eorumque a feudis diſcrim. §.* 6. Lipſ. 1774.

(*b*) vid. *obſ. IV.* de *indole fidelit. vaſallit. et miniſter. §.* 4. et *obſ. V. de femina miniſteriali §.* 6.

§. 18.

Noua incrementa coeperunt feuda, poſtquam I) *beneficia non militaria* immutata ſunt in feuda, ſucceſſione *hereditaria* vſu et obſeruantia non minus in iisdem inualeſcente. Natales inde duxit ingens numerus feudorum, quorum intuitu tantum debentur *non militaria* ſeruitia: et iam ſeculo XV. fere interiit diſcrimen *vaſallorum* et *miniſterialium* (*a*).

(*a*) Ob-

(*a*) *Obſeruat. iur. feud. obſ. II. §. 10. obſ. III. §. 6. obſ. IV. §. 5. 6.*

§. 19.

Non minora incrementa II) res feudalis Germanica accepit ex *allodiorum* in *feuda oblationibus:* quae eccleſiis praelatisque ex *operis meritorii* opinione, nec non Potentioribus, fiducia *tuitionis* ab iis obtinendae, factae, auctaeque ſunt in immenſum pro vario *fine* bona ſua in feudum offerentium (*a*).

(*a*) *Nic. Chriſt.* HERTIVS de *feudis oblatis P. I.* et *Chriſtian.* THOMASIVS *de feud. oblat. cap. I. §. 13. Aug.* de BALTHASAR *de orig. feudor. oblatorum in Pomerania Sect. III.*

CAP.

Cap. III.

Notitia iuris feudalis Longobardici et Germanici.

ARGVMENTVM.

§. 20. *Fontes iuris Longobardici.*
21. *Scripta Oberti et Gerardi.*
22. *Iuris Longobardici collectio.*
23. *fata eius in Italia,*
24. *partitio.*
25. *Fontes iuris feudalis Germanici.*
26. *Vetus auctor de beneficiis.*
27. *Ius feudale Saxonicum.*
§. 28. *Ius feudale Alemannicum.*
29. *Ius Caesareum.*
30. *Vis harum collectionum.*
31. *Iuris Longobardici receptio per Germaniam.*
32. *Principia in definiendo vsu iurium circa feuda.*
33. *Ius speciale singulorum feudorum.*

§. 20.

Ex quo beneficia naturam *feudorum* induerunt: *leges antiquae beneficiariae* Imperatorum Carolingicorum (*a*) non nisi vim *consuetudinis* seruarunt. Iura feudorum in Italia constabant tum constitutionibus nonnullis *Conradi II.* (*b*), *Henrici III.*, *Lotharii* et *Friderici I.* (*c*), in campis praesertim Roncalicis latis, tum *consuetudinibus*, *Responsis prudentum* et *decisionibus* curiarum feudalium (*d*).

(*a*) Has diligenter recenset LE FEBURE tr. *de l'Origine des Fiefs* in app. p. 138.

(*b*) De

(*b*) De Conſtitutione *de expeditioue Romana*, aeuo CONRADI II. vindicata, vid. *Chriſt. Ge.* GEBAVER in app. ad *Schilteri inſtit. iur. feud. p.* 232.

(*c*) *Io. Iac.* MASCOVIVS in *Comment. de rebus Lotharii Imp.* annot. 5. *E. A.* HEILIGER de *Campis Roncaliae, habitisque ibi curiis ſolennib.* §. 13. 20.

(*d*) Ad haec prouocatur I. F. 19. II. F. 19. II. F. 27. §. 2. II. F. 55.

§. 21.

Ex his regnante *Friderico I.* duplicem libellum de iure feudorum, maxime quod in *curia Mediolanenſi* obtinuit (*a*), conſcripſerunt OBERTVS AB ORTO et GERARDVS NIGER, Conſules Mediolanenſes. Vtriusque non niſi fragmenta ſuperſunt, ſeruata in *libris feudorum* (*b*).

(*a*) II. F. I. II. F. 23.

(*b*) Vtriusque conſulis ſententia mox *laudatur* II. F. 23. 28. 30 32. §. 2. 4. II. F. 36. mox *reiicitur* II. F. 32. Diuerſus ab illis compilator librorum feudalium nullibi clarius ſe prodit, quam II. F. 51. §. 1.

§. 22.

Vtriusque conſulis libellis diligenter vſus eſt *Auctor incertus* collectionis antiquae iuris feudalis Longobardici, quae prodiit ſub titulo: CONSVETVDINES FEVDORVM: et *Liber feudorum* vocatur. Condita certe eſt aetate FRIDERICI I. et quidem intra *annum* 1158., quo latae ſunt *leges Friderici I.* eidem inſertae (*a*), et intra annum

num 1168., quo obiit HVGOLINVS, *collectionis Glossator* (*b*).

(*a*) II. F. 38. §. 4. II. F. 55. 56.

(*b*) Rem conficit testimonium antiqui *Calendarii Academiae Bononiensis*, quod in *Observ. iur. feud. obs. I.* de *aetate collect. consuet feud.* §. 7. proposui ex *Alex.* MACHIAVELLI notis *ad Sigonii histor. Bonon. lib. III. T. III. oper.* p. 150 *not.* 84. vbi Mense Octobri haec notantur. *Anniuersarium funeris insigniss.* D. HVGOLINI *de Porta Rauenate*, *Iurisconsulti*, *et* LIBRI FEVDORVM, *Bononiam a* FRIDERICO I. AENOBARBO *Caesare missi*, GLOSSATORIS, *ac publici legum in nostro Archigymnasio interpretis — Ossa eius requiescunt ad S. Victorem in Barbiano, vbi solenniter fuit tumulatus A. S.* 1168.

§. 23.

Priuata collectio in Italia nacta sensim est *iuris auctoritatem:* eique profuit, quod 1) FRIDERICVS I. eam miserit Bononiam in vsus *praelectionum Academicarum* (*a*), quod 2) eam mox glossis illustrauerint HVGOLINVS DE PORTA RAVENNATE, aliique ICti; quod denique 3) seculo XIII. adiecta sit *Corpori iuris Romani* sub appellatione DECIMAE COLLATIONIS, instituto quidem priuato HVGOLINI DE PRESBYTERIS, ICti Bononiensis sub FRIDERICO II. florentis, sed mox in exemplum deducto (*b*).

(*a*) *Obseruat. iur. feud. l. c.* §. 12. *seq.*

(*b*) ODOFREDVS in *Comment. ad Auth. Cassa C. de SS. Eccles.* primo agit de *Nouellis Iustiniani*, a Friderico II. Bononiam missis, in *nouem collationes* digestis. Deinde addit: *Postea quid fecerunt Doctores? Dom. Hugo-*

Hugolinus post nonam collationem posuit LIBRVM FEVDALEM *et omnes constitutiones Federici antiqui et Iunioris et aliquas leges Conradi Imp. et vocatur* DECIMA COLLATIO. *Sed pauci sunt, qui ita ordinate habent in libris suis, sicut Odofredus.*

§. 24.

Diuisa est in *duos libros* studio glossatorum (*a*). Segmenta, quae singulis titulis exhibentur, partemque faciunt ipsius collectionis, *capitula ordinaria* vocantur; quae vero eidem post *libri II. tit.* 57. addita sunt, *capitula extraordinaria* appellantur (*b*).

(*a*) *Gottfr. Dan.* HOFFMANN *de vnico iuris feudalis Longob. libro* §. 25. Concinniorem huius collectionis ordinem seculo XV. dare conati sunt *Antonius* MINCVCCIVS *de Prato Vetere*, ICtus Bononiensis in *libr. VI. de feudis*, et *Bartholomaeus* BARATERIVS, ICtus Placentinus, in *libello feudorum reformato*. Vtrumque edidit SCHILTERVS in append. *Commentarii ad Ius feud. Alem.* Conf. *Frid. Car.* BVRI *Erläuterung des Lehn-Rechts p.* 110.

(*b*) *Iacobus de* ARDIZONE, Veronensis sec. XIII. ICtus, et Azonis discipulus, in *summa* siue *epitome feudorum* edit. Colon. 1569. p. 210. ea vocat *capitula extrauagantia alterius cuiusdam compilationis.*

§. 25.

In Germania ius feudorum positum inprimis fuit in iuribus, mutuo *Domini* et *vasallorum consensu* constitutis, et in *solenni curia* subinde renouatis (*a*), in *consuetudinibus*, nec non in *decisionibus*, in *curiis feudalibus* cum Imperii tum Statuum

tuum imperii ex aequo et bono latis. Ex his tandem confectae sunt variae collectiones, *priuatae* licet omnes.

(*a*) Haec iura sunt *propria certae curiae feudalis*, ad eaque se referunt formulae literarum feudalium *zu Fuldischen*, *Munzenbergischen*, *Braunerkischen*, *Clevischen*, *Zutphenschen*, *Geldrischen* cet. *Lehnrechten*, de quibus vid. *Io. Ad.* KOPP *Proben des Teutschen Lehnrechts P. I. obs. II. p.* 33. *seq.* Diss. mea *de decisione causarum feudal. secundum ius curiae* §. 3. 8.

§. 26.

I. Antiquior illarum esse videtur, quam lingua latina *priuato studio* adornauit VETVS AVCTOR DE BENEFICIIS (*a*), quem aeuo *Conradi III.* vel *Friderici I.* vixisse probabile est (*b*).

(*a*) Libellum a. 1708. edidit *Christ.* THOMASIVS in *selectis feudalibus tom. I. p.* 71. edoctus deinde, eundem iam pridem cum *Franc.* DVARENI *comment. ad consuetudines feudor.* editum esse a *Io.* HAVICHORSTIO, Coloniae Agrip. 1569. in 8. sub. tit. *liber vetustus de feodis.*

(*b*) Conf. *Vetus auct. de benef. §. VI.* iuncto testimonio *Amandi* de *actis a Friderico I.* apud GEWOLDVM de septemuiratu cap. 6. n 69. p 78. quod recensui in *originib. praecipuor. iurium Electoris Colon. §.* 19. Conf. HEINECCIVS in praefat. *ad Histor. iur. R. et G. in f.* GVNDLINGIVS in *Gundlingian. P. III. §.* 14. *p.* 216. *Io. Goth.* SCHAVMBVRG *de auctoris veteris de beneficiis vetustate* apud IENICHEN *t. I. p.* 347.

§. 27.

II. IVS FEVDALE SAXONICVM partem alteram facit *Speculi Saxonici*, eodem auctore

Epkone a Repkow initio ſec. XIII. conſcriptum (*a*), collectumque priuato ſtudio ex moribus praeſertim curiarum feudalium Saxoniae.

(*a*) De eius aetate vid. *Chriſt. Vlr.* GRVPEN *obſeruat. rer. et antiq. Germ. obſ.* 29. *cap.* I. *p.* 463. *et p.* 477. et *Henr. Chr. L. B. de* SENCKENBERG *viſiones de collect. leg. Germ.* p. 46. *Ge. Henr.* AYRER de *aetate ſpeculi Sax. ſpeculo Sueuico antiquioris* §. 7. *ſq.*

§. 28.

III. IVS FEVDALE ALEMANNICVM eſt pars altera *ſpeculi Sueuici*, incerto auctore eoque priuato ex moribus Germaniae feudalibus conſcriptum circa finem ſeculi XIII. (*a*).

(*a*) *Commentario* illud inſtruxit *Io.* SCHILTERVS. Opinionem eius, qua id publica auctoritate promulgatum eſſe cenſuit, confutant THOMASIVS in *Select. feud.* §. 46. ſq. et BVRI l. c. p. 184. *Io. Gottl* GONNE *de commento ſpeculi Sueuici* §. 26. *Erlang.* 1753. De aetate huius libelli accurate egit *Chriſt. Vlr.* GRVPEN l. c. *obſ.* 29. §. 3. *p.* 477.

§. 29.

IV. Eiusdem indolis eſt *priuata conſuetudinum et deciſionum feudalium expoſitio*, quae venit ſub appellatione Partis III. *des Kaiſer-Rechts* (*a*). Quae quamquam iura, a Conrado II. aliisque Imperatoribus ſancita, referat: ipſa collectio tamen, incertae aetatis, vtroque ſpeculo poſterior eſſe videtur (*b*). Nec illud praetermittendum eſt, nomen *iuris Caeſarei* ex iſtius aeui ſtilo ſubinde

inde iuri Saxonico et Alemannico, Longobardico et Romano tribui.

(*a*) Primus illud a. 1740. edidit *Henr. Chr. de* SENCKENBERG in *corp. iur. feud. N. I.* et eiusdem partes priores in *Corp. iuris Germ. publ. et priuati p.* I.

(*b*) De eius aetate conf. *Christ. Vlr.* GRVPEN *l. c. obs.* 30. *p.* 482. 503. et Dni *de* SENCKENBERG *visiones de collect. leg. Germ. p.* 25. *f. Io. Christoph.* RVDOLPH pr. de *veteri legum collectione, vulgo ius Caesareum.* *Erlang.* 1759. PVTTMANN *obs. iur. feud. cap. III.*

§. 30.

Priuatae collectiones, §. 26-29. recensitae, vi legis non pollent, sed *fide historica* in adstruendis *consuetudinibus feudalibus medii aeui.* Quae ex his hodienum supersunt in curiis feudalibus; vi *obserruantiae specialis*, vel vi *iuris particularis*, quo seruatae sunt, iuris auctoritatem habent, non vi istarum collectionum.

§. 31.

Is vero rerum iuriumque feudalium status viam aperuit *iuri Longobardico*, vna cum *Corpore iuris Romani*, cui annexum erat, in Germania introducendo (*a*). Contigit id maxime seculo XIV. (*b*); promotumque est erectis *Imperii tribunalibus* statuumque imp. *iudiciis feudalibus:* indeque receptum est *per Germaniam* ipso vsu et obseruantia et tacito Imperatoris Ordinumque imperii consensu; *iurisque communis* vim obtinuit in

feudis Germaniae *publicis* ac *priuatis* (*c*). Obseruandum tamen est, I. receptum esse ipsum *ius Longobardicum*, actumque tantum de illius applicatione ad negotia feudalia Germaniae, quoad horum indoles id patitur; non vero ideo adoptata esse *instituta feudalia*, Longobardis propria, Germanisque ignorata (*d*); nec antiquata esse *instituta feudalia*, Germanis propria: idemque II. receptum esse in *subsidium*, vbi deficiunt leges domesticae, hoc est, vel *leges imperii* et quae cum his parem vim habent, *obseruantiae imperii*, vel *iura* prouinciae, curiae, et familiae *particularia* (*e*).

(*a*) Occasiones receptionis recenset *Io. Ad.* KOPP in *hist. iur.* p. 110. *et* 182. Vestigia iuris feudalis Longobardici sec. XII. prodit diploma Friderici I. de a. 1180., quo FRIDERICVS I. partem ducatus Westphaliae et Angariae concessit *Friderico Coloniensi*, qua priuatus erat *Henricus Leo*, tamquam contumax, ex ratione iuris Longobard. II. F. 24. §. 1: qui *sub feodali iure legitimo, trino edicto ad Nostram citatus audientiam, eo quod se absentasset, nec aliquem pro se misit responsalem*, contumax iudicatus esse dicitur. Vid. *Aeg.* GELENIVS *de admir. magnitudine Coloniae* p. 73. *Origines Guelficae tom. III* p. 101.

(*b*) Testimonia dedi in *obseruat. iur. feud. obs.* 1. §. 18.

(*c*) In Legibus imp. intelligitur sub nomine *der gemeinen Rechte. Ord. Imp. Aul. tit* 1. §. 15. *Landfrieden de a.* 1548. *tit.* 3. §. 2. *Rec. imp. de a.* 1654. §. 105. De eius vsu in feudis imp. vid. *Io. Iac.* MOSER *Staats-Recht tom. II. cap* 32. §. 6. *sq. Ge. Melch. de* LVDOLF de *iure femin. illustr. P. II c.* 1. §. 11.

(*d*) Huc pertinent, quae exponunt *Gebh. Christ.* BASTINELLER de *praeiudicio principum ex abusu iur. feud.*

feud. Long. in IENICHEN *thef. iur. feud.* p. 232. et *Iust. Christ.* WILLERDING de *incongrua applicat. iur. Long. ad feuda Germ. ibid.* p. 229.

(*e*) *Ernest. Ioach. de* WESTPHALEN de *fatis et vsu studii iuris feud. in Germ.* §. 29. et inftar omnium *Steph. Christ.* HARPPRECHT de *iuris feud. Alemannici non vsu moderno. Kiel* 1723.

§. 32.

Itaque I. ad *ius feudale Longobardicum* prouocans, fundatam intentionem habet in iis, quae nec legibus imperii nec iure particulari definiuntur (*a*). II. Ius antiquum feudale Germanicum, in *collectionibus priuatis* expofitum, non obtinet, nifi id vel iure particulari, vel obferuantia prouinciae et curiae feudalis, vel conuentione feruatum effe appareat. (§. 30.) III. *Capitula extraordinaria*, fiquidem numquam recepta, vi legis carent (§. 24.) (*b*). IV. In his, quae nec iure feudali nec rationibus iuris feudalis definiuntur, *ius Romanum* quoque (*c*) et *Canonicum*, vel *ius ciuile prouinciale* obtinet. Nec V. *obferuantiae forenfi* vis neganda eft: quamquam haec non aeftimanda fit ex *folis Doctorum opinionibus* (*d*).

(*a*) *Ord. iud. Aul.* tit. 5. §. 1. ibi: *doch daß — gegen unsern klaren Lehnrechten, den allegirten, aber nicht zu Recht probirten Lehn-Gebräuchen, sonderlich in unsern kayserlichen Welschen Lehens-Fähigkeiten, nicht zu viel in relatione noch decisione deferiret werde.* Teftimonia larga manu dat HARPPRECHT l. c. Part. II.

(*b*) STRVVIVS *in Synt. iur. feud. cap. I.* §. 7. n. 10.

(c) II. F. 1. Iuris Romani in iure feud. Longobard. veſtigia recenſuit PVTTMANN *in obſ. iur. feud. c.* 4.

(d) *Io. Ad.* KOPP in *Praefat. der Proben des Teutſchen Lehn-Rechts ſ.* 7.

§. 33.

Semper autem in quolibet feudo id primo loco ſequimur, quod actum eſt inter *Dominum* et *vaſallum;* (§. 3.) et ſi non apparet, quid actum ſit, conſequens erit, vt ſequamur, quod in *curia Domini*, in qua actum eſt, frequentatur. Vnde iura *curiae Domini directi* inter dominum et vaſallum *tacite* placuiſſe cenſentur: eaque praeualent in colliſione cum iuribus *feudi ſiti* (a).

(a) *L.* 34. *D. de reg. iur. Henr.* ROSENTHAL *de feud. cap. I. concl.* 17. *n.* 7. 8. *Nic.* BVRGVNDVS *ad conſuetud. Flandriae tract. VII. n.* 8. *Frid. a* SANDE in tr. *de feud. Geldriae tract. III. cap. V. a.* 11. 13. *Io. Vlr. de* CRAMER *obſ. iur. vniu. tom. II. obſ.* 741 *p.* 398. Vid. diſſ. mea de *deciſione cauſ. feud. ſecundum ius curiae ſ.* 10.

PARS

PARS SPECIALIS.

LIB. I.
IVS FEVDALE GERMANICVM GENERALE.

SECTIO I.
DE CONSTITVTIONE ET ACQVISITIONE FEVDI.

CAP. I.
De essentia et natura feudorum.

ARGVMENTVM.

§. 34. *Essentia, naturalia et accidentalia feudi.*
35. *Quaenam pertineant ad essentiam feudi.*
36. *Per hanc feudum discernitur a negotiis feudo vicinis.*
37. *Naturalia feudi. Praesumtio pro illis.*
§. 38. *Accidentalia feudi.*
39. 40. *Nata inde distinctio in feudum proprium et improprium.*
41. *Feudis opponitur allodium.*
42. *Cuius species est feudum Solare.*

§. 34.

E*ssentiam feudi* constituunt, quae feudo perpetuo insunt, ideoque ab eo abesse non possunt.

Qualitates feudi iure feudali determinatae, *naturalia*, conuentione contrahentium determinatae, *accidentalia feudi* sunt (*a*).

(*a*) *Henr.* BOCERI tr. de *substantia*, *natura et accidente feudi. Christ.* WOLF de *notione*, *substant. et accident. feudi*, *in horis subsec. tom. II. p.* 286. *sq.*

§. 35.

Pertinent ad essentiam feudi I. RES, II. DOMINIVM VTILE, quo continetur pars proprietatis, in iure alienandi et immutandi restricto consistens, et omne ius vtendi et fruendi (*a*); III. DOMINIVM DIRECTVM, quod in parte proprietatis, in concedendo dominio vtili reseruata, consistit (*b*); IV. MVTVA FIDELITAS, inter dominum et vasallum intercedens; quae comprehendit tum *fidelitatem domini*, quae *protectio* vocatur, tum fidelitatem *vasalliticam* (*c*).

(*a*) *I. F.* 8. *pr.*
(*b*) *II. F.* 23. §. 2.
(*c*) *II.* F. 6.

§. 36.

Essentialium feudi si quid deest, feudum non est, sed *negotium feudo vicinum* (*a*). Itaque 1) nec sola *dominii vtilis* concessio, nec 2) quaelibet *fidei* promissio, quantumuis intuitu bonorum facta, feudum efficit. Obseruandum enim est, voce, *Lehn*, sensu *latiori* accipi quamcunque con-

cessio-

cessionem rei, qua concedenti ius aliquod in eadem reseruatur (*b*). Vt ergo negotium feudo vicinum a feudo discernatur, ad *feudi essentiam* respiciendum est.

(*a*) Haec explicat *Io. Petr. de* LVDEWIG in *iure Clientelari Sect. II.* et *Carol. Fried.* BVRI *Rechtliche Erläuterung des Lehnrechts p.* 830. *seq.* Apud Longobardos huc pertinebant *bona libellaria*, quae sunt bona, quae interueniente libello, seu contractu in scripturam redacto, pro definito viliori pretio venduntur sub lege, soluendi annuam pensionem, nec non contractum pro conuento eodem pretio, stato tempore renouandi. II. F. 9. §. 1. II. F. 44. de quibus vid. BVRI *l. c. p.* 1098.

(*b*) *Franc. Car.* CONRADI diss. de *nominibus Germanicis feode et Lehen* in IENICHENII *thes. iur. feud. tom. III.* p. 563.

§. 37.

Naturalia feudi oriuntur ex *determinatione* essentialium *iure feudali* facta (*a*): quorum rationes praecipuae tum in *institutis* feudorum *antiquis* eorumque *fine* primario militiae agendae, tum in tuendis conseruandisque *iuribus* et *obligationibus* domini et vasalli consistunt. Quae quoad 1) definita sunt in *fauorem contrahentium*, horum consensu *immutari* possunt: 2) feudo vero inesse, et contrahentibus placuisse *praesumuntur*, quoad aliud inter illos conuentum esse non probatur (*b*). Iure feudali Longobardico itaque recepto, *naturalia* feudorum, *iure Longobardico* definita, hodienum

dienum obtinent, etiamſi *rationes eorum* ob *mutatum militiae ſtatum* deficere coeperint.

(*a*) II. F. 2. vocantur *communis feudorum ratio.*

(*b*) II. F. 2. §. 2. 3. *Si vaſallus per pactum ſpeciale contra feudi naturam allegat, veluti de filiarum ſucceſſione, liceat ei tenorem, ſi poteſt, ſicut inueſtituram probare.* II. F. 3. §. vlt. I. F. 14. §. 2. *Sam.* STRYK *de praeſumtione feudali* cap. II.

§. 38.

Accidentalia feudi cum determinentur *conuentione contrahentium:* oriuntur vel ex *immutatione naturalium* vel ex eorum *ſpeciali determinatione*; ideoque *probatione* ſemper indigent (*a*).

(*a*) II. F. 2. 18. 48. THOMASIVS *de feud. oblat. cap. I.* §. 40.

§. 39.

Nata inde eſt diſtinctio in feudum PROPRIVM, *cui inſunt omnia naturalia*, et IMPROPRIVM, *cui naturalia omnia non inſunt, ſed eorum quid immutatum eſt.* Feudum ergo fit *improprium*, quoties mutuo domini et vaſalli conſenſu *feudi natura* immutatur (*a*).

(*a*) II. F. 48. *Io.* WVRMSER de *feudis impropriis in genere et in ſpecie, Tubing.* 1657. 8. *Io. Fried.* RHETIVS in diſſ. de *feudis impropriis.*

§. 40.

Quoniam naturalia feudo ineſſe praeſumuntur: (§. 37.) 1) omne feudum *praeſumitur pro-*

pri-

prium; 2) feudum improprium esse contendens, *probatione* eius, quod *contra naturam feudi* immutatum esse allegat, defungi debet (*a*); 3) feudum improprium in ceteris omnibus, quae conuentione immutata non sunt, communem feudi naturam seruat (*b*).

(*a*) II. F. 2. §. 2. 3.
(*b*) II. F. 48. HORN in *iurispr. feud. c. IV. §. 2. Christ. Gotth.* de GVTSCHMID diss. *de feudis omnibus iure propriorum omni ex parte censendis, nisi mutatio rationis feudorum communis demonstretur §.* 3. *Lips.* 1756.

§. 41.

Bona non feudalia, *quae in nexu feudali non sunt*, ALLODIA vocantur in *sensu generali* (*a*). Quo significatu sub illis continentur tum BONA AVITA, seu allodia *in specie* sic dicta, *quae vi specialis dispositionis*, siue expressae siue tacitae, *iure successionis non nisi his deferuntur*, *qui sunt in familia*, tum BONA ACQVISITA, quae alio titulo, quam iure successionis in familia acquiruntur; ideo que liberae dispositioni subsunt.

(*a*) II. F. 26. §. 1. II. F. 43. 44. 45.
(*b*) *M. Ant.* DOMINICVS de *praerogatiua allodior. c. 7. Io. Ferd. Wilh.* BRANDT de *natura bonor. auitorum vulgo Stammgüter. Frid. Es.* PVFENDORFII *obs. iur. tom. III. obs.* 16. 17.

§. 42.

Bona solaria, vulgo sic dicta *Sonnen-Lehn*, non nisi *bona allodialia* esse videntur (§. 36.), quo-

quorum *immunitatem a nexu feudali* ritu ſolenni inaugurationis oſtendere mos erat (*a*).

(*a*) Hunc deſcribit *Ge. Melch. de* LVDOLF *obſ. for P. I. obſ.* 8. *p.* 37. *G. A.* IENICHEN von *Sonnen-Lehen ȷ́.* 20. *de* CRAMER *Wetzlariſche Neben-Stunden P. IX. N.* 5. Contigit inde, vt *lite de dominio directo mota*, ſubinde conuentione definiretur, vt vaſallus lite pendente nemini praeſtaret ſeruitia, et praedium interim poſſideret *inſtar feudi ſolaris:* quorſum pertinere puto ea, quae recenſet *Frid. Eſ* PVFENDORF *obſ. tom. III. obſ.* 147. *ȷ́.* 7. Varie de eo ſentiunt interpretes: vid. *Ahasu.* FRITSCH *de feudo ſolari. Hartm. ab* ERFFA *de bonis Germ. feuda ſolaria dictis. Hulder. ab* EYBEN *tom. II. oper. p.* 641. *Io. Gottl.* HACKMANN *de feudo Solari. Gundlingiana P. XII. obſ.* 3.

CAP. II.

Cap. II.

De infeudatione in genere.

ARGVMENTVM.

§. 43. *Infeudatio quid?*
44. *Actus in ea interuenientes.*
45. *Indefinite fieri potest vel definite.*
46. *Peragitur* 1) *vel in re, concedentis propria, vel in re, a possessore in feudum oblata.*
§. 47. *Modus constituendi feudum oblatum.*
48. 2) *Est vel prima infeudatio vel reinfeudatio.*
49. *Res infeudari solita.*
50. *Momenta consideranda in infeudatione.*

§. 43.

F*eudum constitui* dicitur, si dominium vtile certae rei alteri conceditur sub nexu fidelitatis, et *feudum acquiri*, dum ita concessum ab altero acceptatur (*a*). *Constitutio feudi* INFEVDATIO vocatur; speciemque continet alienationis.

(*a*) Correlata sunt *constituere* et *acquirere feudum: illud* domino, *hoc* vasallo tribuitur. Vid. Comment. mea *de inuestit. simult. euent.* c. 1. §. 3.

§. 44.

Infeudationem praecedere potest vel PROMISSIO FEVDI, quae est *conuentio, qua infeudatio promittitur* (*a*), vel dispositio *vltimae volun-*

luntatis, qua heredi infeudatio iniungitur. CONTRACTVS FEVDALIS est ipsa *conuentio, quae de feudo constituendo et acquirendo initur*, ideoque de dominio vtili certae rei sub nexu determinatae fidelitatis transferendo suscipiendoque. *Modus infeudandi* more Germanorum peragitur actu *sollenni iudiciali*, quo dominus dominium vtile feudi in alterum, fidelitatem promittentem, transfert (*b*); quae *inuestiturae* nomine venit, de qua infra dicendum. *Fundamentum infeudationis est contractus feudalis:* in quo *naturalia feudi* placuisse praesumuntur, nisi quid eorum immutatum esse appareat (§. 37.). Determinationes naturalium feudi, in contractu feudali factae, LEGEM faciunt INFEVDATIONIS.

(*a*) Exemplum Promissionis feudi *expressae* in expectatiua feudi, et *tacitae* in consensu domini in alienationem feudi. STRVVIVS in *Synt. iur. feud. c. VII. §. 2.* HORN in *iurispr. feud. cap. XI. §. 1.*

(*b*) *II. F. 8. pr. I. F. 25.*

§. 45.

Infeudatio fieri potest vel *ad tempus*, veluti ad vitae tempus (*a*), vel in *perpetuum;* idque vel *indefinite*, vel *definitis successoribus*, in quos transire debeat. Iure feudali *in perpetuum* et *solis descendentibus masculis* facta esse *praesumitur* (*b*); nisi et aliis in *contractu feudali* prospectum esse appareat.

reat. Exſtinctis omnibus, quibus feudum conſtitutum eſt, *infeudatio finitur*, et feudum domino fit *apertum.*

(*a*) *I. F.* 2. *II. F.* 10. §. 1. Io. Lud. VHLE de *feudo ad heredes feudales non tranſeunte* Franckf. 1756.
(*b*) I. F. 1. §. 1. 2. II. F. 23. §. vlt. II. F. 50.

§. 46.

Infeudatio fieri poteſt vel *ſola datione feudi*, dum feudum conſtituitur in re, quae hactenus in bonis concedentis fuit; vel *praeuia oblatione rei in feudum*, qua quis alteri rem *ea lege* tradit, *vt ſibi infeudetur.* Feudum inde vel DATVM eſt, vel OBLATVM, *quod vi oblationis a domino conſtituitur in re, ſibi in feudum oblata.*

§. 47.

In conſtituendo feudo oblato interuenit tum *oblatio rei in feudum*, tum eius *infeudatio:* vtraque olim ſubinde ſeparatim peracta, et interuallo *anni* et *diei* ſeiuncta (*a*), ſed deinceps vtplurimum *eodem tempore* coniuncta eſt, intercedente *breui manu traditione.* Quoties in oblatione et infeudatione nihil circa *naturalia feudi* immutatum eſſe, apparet: toties *naturalia* placuiſſe, ideoque et feuda oblata *propria* eſſe praeſumuntur (*b*) (§. 37. 40).

(*a*) *Ius Prou. Sax. lib. I. art.* 34. In Charta de a. 1197. apud *I. P. de* LVDEWIG in *reliq. MSS. medii aeui*

tom. XI. p. 603. Otto et Albertus Marchiam Brandenburgensem in feudum obtulerant Archiepiscopo Magdeburgensi, repromittenti, *quod bona eadem, quaecunque iidem fratres praefatae ecclesiae contulerant, transacto anno et sex hebdomadis a tempore collationis concedet in feodo et eis restituet vniuersa.* Alia exempla recenset *Ioach.* MÜLLER in *Staats-Cabinet Part. III. c.* 2.

(*b*) HERTIVS de *feud. oblat. Part. II.* §. 40. THOMASIVS de *feud. obl. c.* 1. §. 60. 65. *Christ.* HANACCIVS *de eo, quod refert feudum esse datum vel oblatum. Iusti Christoph.* BOEHMERI diss. sub praesidio *Dan.* NETTELBLADTII de *iuribus et obligat. ex oblatione feudor. cap. II.*

§. 48.

Infeudatio vel *prima* est, qua ex allodio constituitur feudum, vel *vlterior*. Haec in specie *reinfeudatio* dicitur, *qua post priorem infeudationem finitam, feudum alteri de nouo constituitur.*

§. 49.

Finita infeudatione, *res quondam legitime in feudum constituta, et Domino rursus aperta*, vocatur *res infeudari solita* (*a*). Per eius *reinfeudationem* in alia persona tantum *continuatur infeudatio*, semel legitime facta: eaque ideo permissa est in rebus, quarum infeudatio alioquin prohibita est; nisi res infeudari solita iam sit in dominicum redacta.

(*a*) *II. F.* 35. *in f. c.* 2. *X. de feudis. Car. Ad.* BRAVN *de re infeudari solita, cap. I.*

§. 50.

§. 50.

In explicanda *infeudatione* confiderandae funt tum 1) *res*, quae in feudum dari poffunt, tum 2) *perfonae*, quae conftituunt, et quibus conftituitur feudum, tum denique 3) *modus conftituendi* et *acquirendi* feudum.

CAP. III.

De rebus, in quibus feudum constituitur.

ARGVMENTVM.

§. 51. a) *Res ad infeudandum idoneae in genere.*
52. *Res immobiles, et quae pro talibus habentur.*
53. *Res principalis cum pertinentiis:*
54. *In dominio pleno et minus pleno constitutae;*
55. *etiam dominium directum.*
56. *b) in specie ratione infeudationis legitimae requiritur res dispositioni obnoxia.*
57. I. *Res seculares et ecclesiasticae.*
58. *Distinctio feudi secularis et ecclesiastici.*
59. II. *Publicae et priuatae.*
60. *Bona publica et Cameralia in prouinciis Germ.*
61. *Feuda inde prouincialia in curte et extra curtem.*
62. III. *Iura et regalia maiora et minora.*
§. 63. *Quatenus infeudari queant.*
64. *Infeudationis eorumdem vis et interpretatio.*
65. *Species feudorum intuitu obiecti.*
66. *Feudum iurisdictionis.*
67. *Feudum Venationis.*
68. *ex eo ius venandi priuatiue competit.*
69. *Feudum officii.*
70. *Feudum Postarum.*
71. *Feudum aduocatiae.*
72. *Iuris patronatus.*
73. *Decimarum.*
74. *Vis concessi iuris decimandi vniuersalis.*
75. *Feudum pignoratitium.*
76. *Feudum annuae praestationis.*
77. *Feudum pecuniarium.*
78. *Pecunia intuitu feudi debita iure feudi non censetur.*
79. *Feudum habitationis.*
80. *Feudum aedificii, Keminatae, castri.*

§. 51.

Res *ad infeudandum capaces* sunt, quarum dominium vtile transferri in alterum potest retento

dominio

dominio directo: res vero *ad infeudandum idoneae* ſunt, quae dominum ſimul *ſecurum* reddunt ratione dominii directi. Tales *iure Longobardico* ſunt res *immobiles*, vel *natura* vel *intellectu iuris* tales (*a*): ideoque *naturale feudi* eſt, in his feudum conſtitui.

(*a*) II. F. 1. §. 1. II. F. 23. §. 1.

§. 52.

Infeudari ergo poſſunt res *immobiles*, 1) tam *ſingulares*, quam *rerum vniuerſitates*, veluti praedia, diſtrictus, ciuitates (*a*), et territoria; 2) *iura*, eaque vel *ſeparatim* vel *vna cum praedio*, cui inhaerent; nec non 3) *res mobiles*, *vel* quoad intellectu iuris *pro immobilibus* habentur, veluti ſi ſunt *acceſſorium* rei immobilis, *vel* ſi *cautio* praeſtatur de re mobili eiusdem generis eiusue aeſtimationis finito feudo reſtituenda, quae *loco* cedit *proprietatis* (*b*).

(*a*) Impetratum ſaepius eſt a ciuitatibus priuilegium, *ne vnquam in feudum dentur. Origines Guelficae tom. IV. N.* 36. *p.* 130. *N.* 83. *p.* 184. 186.

(*b*) HORNII *iurisprud. feud. cap. II. §.* 10. *cap. IV. §.* 21. *Chriſt. Ludouic.* STIEGLITZ de *iuribus et actionibus feudi titulo conceſſis §.* 14.

§. 53.

Re principali, vna *cum pertinentiis* in feudum conceſſa, hae etiam infeudatae cenſentur (*a*).

Ceterum pertinentiae feudi non aliter *feudales* ſunt, quam ſi earum *infeudationem* interueniſſe apparet (§. 47.): quae praeſumitur, ſi eo tempore, quo *res principalis* in feudum data eſt, *numero pertinentiarum* fuerunt. Si quae *a vaſallo* tantum deſtinantur ad perpetuum feudi vſum, *pertinentiae* quidem feudi ſunt, ſed *allodiales* tantum, non *feudales* (*b*).

(*a*) *Gabr.* SCHWEDER de *clauſula inueſtiturae cum pertinentiis* §. 17. *Gottfr. Lud.* MENCKE de *probatione pertinentiarum feudalium*. *Io Bernh.* FRISEN de *natura allodii*, *feudo iuncti*, *conſeruata*.

(*b*) STRVVIVS in *Synt. iur. feud. cap. VI.* §. 10. *n.* 6.

§. 54.

Res non modo in *dominio pleno*, ſed etiam in *minus pleno* conſtituta, ſaluo iure domini directi, infeudari poteſt; veluti res *emphyteuticaria* et *feudalis*. *Feudum, in re ſibi infeudata alteri conſtitutum*, SVBFEVDVM vocatur. Conſtitutio ſubfeudi *ſubinfeudatio* eſt: in qua id agitur, vt vaſallus, ſaluo nexu feudali, quo ipſe domino ſuo obſtringitur, dominium vtile rei ſibi infeudatae alteri ſub lege fidelitatis concedat, demta et ſibi reſeruata *proprietatis parte*, quae dominii directi, hoc eſt *ſubdominii* rationem habet (*a*).

(*a*) II. F. 9. II. F. 34. §. 2.

§. 55.

§. 55.

Poteſt etiam *dominium directum*, ſaluo iure vaſalli, in feudum dari et offerri; idque tum naturam induit *ſubdominii*, et *feudum* immutatur in *ſubfeudum*, et vaſallus in ſubuaſallum (*a*).

(*a*) *Frid. Car.* BVRI *Erleut. des Lehnrechts p.* 606. *Dan.* NETTELBLADT de *oblatione feudi in ſubfeudum absque domini conſenſu inualida* ∫. 20. Huc pertinet formula *mit Lehnſchaften*, *Mannſchaften*. De formula, *cum omni honore*, diſputant TREVERVS in obſ. de *ſignificatu honorum* §. 12. 13. in *Parergis Gotting. lib. I. p.* 44. et *Franc. Car.* CONRADI *de inueſtit. cum omni honore* ∫. 11.

§. 56.

Res infeudanda *in ſpecie* alienationi obnoxia eſſe debet. I. *Res*, *quae alienari prohibetur*, ex regula *infeudari* non poteſt (*a*): et II. quae non niſi *ſub certa ſolennitate alienari*, eadem nec valide *infeudari* poteſt, niſi *ſeruata eadem ſolennitate:* qua tamen opus non eſt, ſi agitur de *reinfeudatione* rei in feudum *dari ſolitae* (*b*); modo 1) prima illius legitima infeudatio *probari* vel ſaltim *praeſumi* queat, veluti ex praeſcriptione rei ordinaria vel immemoriali (*c*), et 2) res infeudari ſolita bonis domini nondum *incorporata* ſit (*d*) (§. 49.).

(*a*) II. F. 3. HORN *iurispr. feud. cap. VII.* ∫. 8.
(*b*) II. F. 35. in *f. c.* 2. *X. de feudis.*

 (*c*) c. 1.

(c) *c.* 1. *de praescript. in* 6. *Car. Adolph.* BRAVN *de re infeudari solita c.* 1. *§.* 8. 12.

(d) BRAVN *l. c. cap. III. §.* 15.

§. 57.

Infeudari ergo possunt I. res tam *seculares* quam *ecclesiasticae*, seruata, quae in earum alienatione desideratur, *alienandi forma*. In bonis ecclesiasticis infeudandis *iustam* alienandi *causam* et *solennitatem ecclesiasticam* interuenire oportet (*a*): quae tamen non desideratur 1) in rebus *infeudari solitis*, ante earum incorporationem reinfeudandis; 2) in bonis ea lege, *vt infeudentur*, ecclesiae acquisitis: prout contingit in feudis oblatis. Ceterum rebus *sacris* et *religiosis*, veluti *ecclesiis* vel *altaribus*, monasteriisque in feudum datis, iura in eisdem competentia, maxime *ius patronatus* et *aduocatiae*, in feudum data esse intelliguntur (*b*).

(*a*) Prohibitio de bonis ecclesiae non infeudandis pertinet ad bona ecclesiae tam *communia* quam *particularia*, veluti *dotalia* et *mensalia*. De his *haud infeudandis* regula tantum proponitur *I. F.* 6. Exemplum iudicii recuperatorii occurrit in Edicto FRIDERICI I. de recuperandis *Coloniensis Archiepiscopi* praediis *ad mensam* spectantibus, sententiam dictante Henrico Bauariae Duce a. 1153. in SCHANNATI *Vindemiis litterar. tom. II. p.* 113. et in *Origin. Guelf. tom. III.* p. 430. Conf. B. Parens in *iure eccles. lib.* 3. *tit.* 20. *p.* 695. BVRI *l. c. p.* 531. 550.

(*b*) Ius patronatus inde vocatur *inuestitura de ecclesia* in chartis in HONTHEIMII *hist. dipl. Treuir. tom. I.* p. 317.

p. 317. 594. Conf. *Paul.* KRESSII *praef. ad Thummermutum* §. 57. BVRI *l. c. p.* 55. *Ern. Mart.* CHLADENIVS de *altaragio eiusque infeudatione* §. 15. 17.

§. 58.

Feudum inde, ratione *obiecti*, distinguitur in SECVLARE, *quod in re seculari*, et ECCLESIASTICVM, *quod in re ecclesiastica constituitur.* Dominium directum feudi ecclesiastici est penes *ecclesiam*, a qua vel *datum*, vel cui *oblatum* est in feudum (*a*).

(*a*) B. Parens de *feudis ecclesiast. cap. IV.* §. *I. in tom. II. exercit. ad Pand. p.* 899.

§. 59.

Infeudari II. possunt non minus res *publicae*, quam *priuatae.* Rerum publicarum nomine veniunt, quae tum ad *imperium ciuile*, tum ad *dominium publicum* principatus et principis pertinent. Vi imperii ciuilis competit de bonis publicis ex commodo publico disponendi, eaque infeudandi potestas: nisi ex *speciali fine*, cui auctoritate publica destinata sunt, restricta intelligatur. Feudum ergo constitui potest in *fluminibus*, *insulis*, *siluis*, *viis publicis*, *locis desertis*, et in iuribus, quae *eorum intuitu* competunt (*a*).

(*a*) diss. mea *de iure principis circa loca et bona publ. c.* 1. §. 2. *c.* 3. §. 1. *seq.* *Io. Frid.* BVRI *l. c. p.* 485. *Ius Domaniale* editum cura *Christiani* FRISII Francofurthi 1701.

§. 60.

In Prouinciis Germaniae praeter *iura territorialia* exiſtunt bona *Cameralia*, ad *tuendam Status imperii*, *qua talis*, *dignitatem deſtinata*. In territoriis *eccleſiaſticis* vocantur bona *menſalia*: quae, cum ad praelaturam imp. pertineant, cui annexum eſt territorium, iure bonorum eccleſiaſticorum cenſentur (§. 57.). In territoriis *ſecularibus* bona Cameralia pertinent ad *ius proprium* Status imp. cuius eſt territorium, tum vi *infeudationis* ab imperio factae, tum vi alterius cuiuscunque *acquiſitionis*, qua bona acquiſita accedente incorporatione Cameralia efficiuntur (*a*). Libera itaque fuit eorum infeudatio. Et cum faciant partem eminentem territorii, ſub imperio territoriali Status imp., qua talis, vniti; feuda ex iisdem data, perinde ac feuda, territorio eiusque domino oblata, iure pertinentiarum territorii vſu perpetuo habita ſunt (*b*). Ceterum in prouinciis, in quibus alienatio bonorum Cameralium vel pactis publicis vel pactis et fideicommiſſis familiae prohibita eſt, eorumdem quoque *infeudatio* circumſcribitur: niſi agatur de bonis *infeudari ſolitis*, ante eorum incorporationem reinfeudandis (*c*).

(*a*) Leyser de *aſſentationib. ICtor. cap. III. ſect.* 2. et in *med. ad Pand. tom. XVI. p.* 71. *Dau. Ge.* strvben *Rechtl. Bedenken tom. II. reſp.* 1. moser *von der Reichs-Stände Landen lib.* 1. *c.* 17. *c.* 18. *§.* 10. *ſq.*

(*b*) Io.

(*b*) *Io. Ad.* KOPP *Proben des Teutschen Lehn-Rechts Part. II. obs.* 2. *§.* 5. *p.* 117-149.

(*c*) STRVBEN *l. c. tom.* I. *resp.* 115. C. A. BRAVN *l. c. cap.* 2. *§.* 13.

§. 61.

Nata inde sunt FEVDA PROVINCIALIA, quorum dominium directum est penes territorium et territorii dominum (§. 8.). Quae si constituuntur in *bonis territorii eiusdem*, vocantur FEVDA IN CVRTE, voce *curtis* pro territorio improprie accepta (*a*): sin in bonis *territorii alieni*, FEVDA EXTRA CVRTEM. Feuda in curte simul subiecta sunt *iuri territoriali*, et inde vocantur *Landsassiaca*. In feudis extra curtem *solum dominium directum* est penes dominum territorii extranei, *saluo* semper *iure territoriali* eius Domini, in cuius territorio sita sunt (*b*), vel salua *immediaetate* bonorum, si haec sint bona *Imperii immediata*.

(*a*) Latius patet huius distinctionis significatus apud Longobardos I. F. 5. §. 1. II. F. 51. pr. inter quos *curtis* accipitur pro districtu seu tractu terrarum, fundis, pagis, villis iuribusque instructo.

(*b*) *Obs. feud. XII.* de *iudice feudorum extra curtem §.* 2. *sq. Mich. Henr.* GRIBNERVS *et Burch. Gotth.* STRVVIVS de *dominio directo in alieno territorio* coniunctim edit. *a Henr. Gottl.* FRANCKIO *Lips.* 1743. Extant etiam apud IENICHEN in *Th. iur. tom. II. p.* 194. 214. *tom. III. p.* 774. *Io. Wilh.* GOEBEL de *feudis extra curtem.*

§. 62.

§. 62.

III. Vti *iura*, ita et *imperium ciuile* (*a*), nec non REGALIA infeudari poſſunt, quo nomine ve-niunt *iura ſingula*, *quae imperio ciuili inſunt;* ea-que vel MAIORA, quae *ex eſſentia imperii ciuilis in-telliguntur*, vel MINORA, *quae eidem ex iure poſitiuo inſunt*: qualia v. c. ſunt iura percipiendi deter-minatos reditus publicos (*b*).

(*a*) HORN *iurispr. feud. c. VIII. §. 8. Chriſt.* WOLF in *iure nat. Part. VII. §.* 98.

(*b*) In textu feudali *II. F.* 56. traduntur *regalia*, quae *Imperatori* in praediis et latifundiis, *per Italiam* in feudum datis, competebant. Quaeſtionem deſuper a Friderico I. Imp. in campis Roncalicis a. 1158. motam eſſe, patet ex RADEVICO de geſtis Friderici I. lib. II. c. 5. Longe alia quaeſtio eſt, quae-nam *in genere* ſint regalia? quaenam *imperatori* per Germaniam, et quaenam *Statibus imperii* per terri-torium competant? BERTRAM ad II. F. 56. in ZE-PERNICK *Samml. zum Lehnr. P. I. N.* 9.

§. 63.

Quamquam regalia maiora imperio ciuili per-petuo et neceſſario inſint: nihil tamen impedit, quo minus alicui poſſint per *determinatum diſtri-ctum* concedi *ſubordinate.* Vnde Status imperii vi ſuperioritatis territorialis regalia, tam *maiora* quam *minora*, per certa praedia certosque terri-torii diſtrictus in feudum dare poſſunt (*a*).

(*a*) *Caſp.* ZIEGLERVS de *iurib. maieſtat. lib. I. c. II.* §. 18. *Io. Ad. de* ICKSTADT de *poſſeſſione regalium* aduer-

aduersus principem in tom. I. op. X. p. 117. Vid. *Dav. Ge.* STRVBEN *Rechtl. Bedenken* tom. II. p. 195.

§. 64.

Infeudatione regalium vasallo 1) tribuitur ius, illa *priuatiue* exercendi per assignatum districtum, nisi sibi dominus reseruauerit facultatem *in eius exercitio concurrendi* (*a*): regale infeudatum vero *concedenti* subordinatum est tum ratione *dominii directi*, tum ratione *superioritatis territorialis.* 2) A *limitibus concessionis feudalis* pendet ius vasalli in regali concesso: proinde si dantur vnius regalis plures *species*, regali simpliciter concesso, *inferior* tantum eius species concessa praesumitur, nisi verba concessionis *generalia* omnes gradus complectantur (*b*): nec ideo 3) a concessione vnius regalis ad alterum valet consequentia (*c*).

(*a*) arg. II. Feud. 6. BVRI l. c. p. 673. ITTERVS de *Feud. imp.* c. 8. §. 8.

(*b*) STRVVIVS *in synt. iur. feud. cap. VI. §.* 18. *c.* 3. FINCKELTHAVS *controv. feud. disp.* 3. MEVIVS *P. IV. dec.* 290.

(*c*) WERNHER *obs. for. Pars VII. obs.* 9. Exemplo iurisdictionis concessae id illustratur in *Ge. Melch. de* LVDOLPH *obseruat. for. Part. I. obs.* 108. et *Christ. Frid. Ge.* MEISTERI *Abhandlung des Peinlichen Process. in Teutschland. Sect. I. c.* 11. *§.* 26. *P. III. p.* 480.

§. 65.

Ex infeudatione variorum bonorum, iurium, regaliumque nascuntur quaedam eminentes *feudorum*

dorum ſpecies, ab *ipſa re infeudata* denominatae; quarum praecipuas in exemplum exponére par eſt.

§. 66.

FEVDVM IVRISDICTIONIS eſt, *quo infeudatur iurisdictio eiusue ſpecies per certum diſtrictum* (*a*). I) In feudum dari ſolet vel *omnis* ſeu *omnimoda* iurisdictio, quae tam *ſuperiorem* quam *inferiorem* continet (*b*), vel *vna* tantum *ſpecies*, veluti *ſuperior*, quae et *banni*, *imperii meri*, et *centenae* nomine venit, vel *inferior* tantum. II) *Infeudatio* iurisdictionis porro fieri poteſt vel *definite*, ſeu verbis *vtramque alterutramue* ſpeciem iurisdictionis deſignantibus: vel *indefinite*, veluti *mit dem Gericht* vel *Gerichtbarkeit*. Cum vero vox *iurisdictionis*, indefinite vſurpata, vocabulum ſit vel *generis* vel *ſpeciei*, videlicet inferioris iurisdictionis: infeudatio iurisdictionis, indefinite facta, accipi non poteſt pro omnimoda iurisdictione in ſenſu *generis*, niſi interueniant *rationes ſpeciales*, quae vel ex verbis, *genus* ſignificantibus, veluti *mit allen Gerichten*, vel ex *qualitate perſonarum*, vel ex *obſeruantia immemoriali* deſumi poſſunt (*c*). Alioquin infeudatio iurisdictionis, indefinite facta, magis *ſpeciem* inferioris iurisdictionis denotare praeſumitur (*d*).

(*a*) Deſignatur ſaepius ſub appellatione *Comiciae* vel *advocatiae*. In charta de a. 1263. in GVDENI *Cod. dipl.* *tom.*

tom. I. p. 703. in feudum datur *Comicia* fiue *Landgericht*. *Io.* HEVMANN de *vera vocis Comiciae fignificatione*. Diff. mea *de Centena fublimi* §. 15. 20. *Chrift. Gottl.* BVDER de *feudo iurisdictionis in opufc. p.* 533. *Dav. Ge.* STRVBEN *obf. iur. et hift. obf. IX. de fignificatione vocum Amt et Voigtey in literis feudalibus.*

(*b*) Formulas ex literis inueftiturae exhibet HALTAVS in *gloff. Germ. p.* 665.

(*c*) *Gabr.* SCHWEDER de *iurisdictione per inueftituram feudalem conceffa* §. 14. *tom. I. differt. p.* 1089. *Io. Paul.* KRESS de *iurisdictione omnimoda formula Richt und Ungericht in feudum conceffa.*

(*d*) *Refcriptum* GEORGII WILHELMI *Ducis Cell. de d.* 15. *Nov.* 1695. HALTAVS *in gloff. Germ.* p. 668. *Chrift. Frid. Ge.* MEISTER l. c. *Sect. I. cap.* 11. §. 23. 24. *Part. III. p.* 463.

§. 67.

FEVDVM VENATIONIS eft, *quod conftituitur in iure venandi per certum diftrictum.* Fuit hoc ius non minus *ius regale* in foreftis *publicis*, quam id ex antiqua Germaniae obferuantia habitum eft pro iure *accefforio praediorum nobilium* (*a*); etiamfi, eius tuendi et muniendi caufa, faepius a Principibus expeteretur *bannum ferinum* (*b*). Vnde praedio nobili, cum omnibus iuribus et pertinentiis in feudum dato, ius venandi quoque infeudatum effe *praefumitur* (*c*): nifi vbi hodie ex *fpeciali prouinciae iure* cenfu regalium habetur. Ceterum venatione *indefinite* in feudum data, *inferior* ex obferuantia conceffa intelligitur, non fuperior: nifi aliud ex immemoriali obferuantia appareat (*d*).

(*a*) *Dav.*

(*a*) *Dav. Ge.* STRVBEN *Vindiciae iuris venandi nobilitatis Germ. cap. I.* §. 27. Eiusdem *Nebenſtunden P. I. obſ.* 2.

(*b*) OTTO IV. Imp. Wittekindo abbati Corbeienſi in feudum dat ius foreſti in Soligo *eo tenore, vt in eo vſum venandi habeat, et ius quod vulgariter Wiltban appellatur:* in SCHATENII *Annal. Paderborn. tom. I. p.* 921. et *Orig. Guelfic. tom. III. p.* 757. De modo foreſtum conſtituendi vid. HONTHEIM *hiſtor. Treuir. diplomat. tom. I. p.* 232.

(*c*) STRVBEN *Nebenſtunden Part. II. obſ.* 11. *Chriſt. Gottl.* RICCIVS *von der Jagd-Gerechtigkeit c. I.* §. 25.

(*d*) SIXTINVS de *regalib. lib.* 2. *c.* 18. *n.* 48. HEIGIVS *quaeſt. iur. P. I. qu.* 15. *n.* 62. *Io. Gabr.* VLRICH *de feudo venationis* §. 8.

§. 68.

Ius venandi, ex natura conceſſionis feudalis, qua ius vtendi fruendi priuatiue competens tribuitur, vaſallo *priuatiue* conceſſum praeſumitur, non *cumulatiue:* nec ideo domino *ius conuenandi* vel *praeuenandi* competit, niſi id ſibi reſeruauerit (*a*). Ceterum conceſſio iuris venandi fit ſaluo iure *territoriali* circa venationes, ex ſalute publica dirigendas, et ſaluo iure foreſti (*b*).

(*a*) *Wilh. de* GOEBEL de *iure venandi p.* 81. *I. Vlr. L. B. de* CRAMER *de iure prae- et conuenandi ſuperioritati territoriali non annexo Tom. III. opuſc.* 11.

(*b*) *Io. Ad. de* ICKSTADT de *eo quod iuſtum iure publico circa venationes cap. I. Ahasver.* FRITSCHII *corpus iuris venatorio foreſtalis Lipſ.* 1702.

§. 69.

§. 69.

Fevdvm officii eſt, *quo infeudatur officium publicnm* (*a*). Vi illius vaſallus conſequitur ius tum in officium infeudatum tum in eius commoda. Originem debet *miniſteriis antiquis*, nexu miniſteriali ſublato, *in feuda* conuerſis: inter quae eminent quatuor *aulae officia hereditaria* (*b*), praecipua in aula principum, comitum, et praelatorum ornamenta (*c*).

(*a*) *Ius feud. Alem. cap.* 112. 113. ibique schiltervs. *Io. Petr. de* lvdewig *iura feudorum cap.* 12. *de officiis & muneribus feudalibus p.* 815.

(*b*) Officium mareſchalli, pincernae, dapiferi et camerarii in feudum conceſſum illuſtrant diplomata in scheidtii obſeruat. ad *Moſeri Braunſchw. Lüneb. Staats-Recht p.* 484. 487. 491. 496. 502. 505. 573. Conf. *Chriſt. Gottl.* bvderi diſſ. *de feudis officialium hered. prouinciarum Germ. c.* 1. §. 8. *c.* 4. §. 10. *Io. Wilh. Comes de* wvrmbrandt *de hereditariis Prouinc. Auſtriac. officialib. Io. Dauid* köhler *von Erb- und Hofämtern des Herzogth. Braunſchweig-Lüneb. Io. Iac.* hombergk *von Heſſiſchen Erb-Aemtern. Io. Phil.* kvchenbecker *von Erb-Hof-Aemtern der Landgrafſchaft Heſſen.*

(*c*) Cauſam comitum in iisdem aulae officiis habendis egit scheidt *l. c. p.* 236.

§. 70.

Fevdvm postarvm eſt, *quo officium magiſtri poſtarum per certam regionem in feudum conceditur.* Hoc officium ſub primitiis inſtituti poſtarum ſec. XVI. in imperio R. G. non niſi ratio-

nem *ministerii imperialis* habuit in commodum terrarum *Austriacarum* et *Burgundicarum* exercendi (*a*): et demum a. 1615. in feudum imperii conuersum fuit, quo inuestitus est *Lamoral. L. B. de Taxis* sub appellatione *generalis magistri postarum per imperium* (*b*). Quod cum fieri non potuerit, quam salua *Statuum Imp. superioritate territoriali* (*c*): Status imp. exemplo archiducum Austriae (*d*), vi iuris ordinandi *cursum publicum* per territorium, *feuda postarum* constituerunt, eaque tum *maiora*, quibus officium generalis magistri postarum *per territorium*, tum *minora*, quibus officium magistri specialis postarum *per stationum interualla* infeudatum est. Maiora feuda ex commodo publico passim redemta sunt.

(*a*) LVNIG *Reichs-Archiv. Part. gener. tom. IV. p.* 443.

(*b*) LVNIG *l. c. p.* 447.

(*c*) *Io. Steph.* PÜTTERI *elem. iur. publ. lib.* 5. *c.* 10. *ibique recensus scriptorum.*

(*d*) LVNIG *l. c. p.* 450. *Io. Petr. de* LVDEWIG *de iure Postarum clientelari, tom. I. Opusc. p.* 919.

§. 71.

FEVDVM ADVOCATIAE est, *quo ius aduocatiae per certum locum in feudum conceditur* (*a*). Multiplex est pro diuersitate iuris aduocatiae, quod vel *protectionem* vel vna cum eadem *iurisdictionem secularem* non in *ecclesias* modo, sed et in *vrbes*

vrbes et *regiones* continet; cuius ratio per *obſervantiam* tum per *literas inueſtiturae* hodie determinatur.

(*a*) Hoc ſenſu ipſa aduocatia feudalis eſt, ſeu infeudata. II. F. 27. §. 17. Vid. charta de a. 1222. in Dn. de GVDENVS *cod. dipl. t. III. p.* 1090. *ipſam aduocatiam denuo iure feodali ab abbate praedicto receperunt, hominium ſibi eccleſiae nomine facientes.* Charta a. 1315. ibid. *tom. IV. p.* 1019. *dimidietatem partis aduocatiae et iurisdictionis vtriusque villae Selheim — — cum hominibus vtriusque ſexus, dictis Voigt leut, ad ipſam aduocatiam et iurisdictionem ſpectantibus.* A. 1265. *aduocatia vrbis Hoxarienſis* et totius *abbatiae Corbeienſis* Alberto et Ioanni, Ducibus Brunſuicenſ. in feudum collata eſt *Orig. Guelf. tom. IV. p.* 208. *Erasmus a* SCHOCKIER tr. de *aduocatiis feudalibus. Phil. Ferd. a* MVNDOLZHEIM de *feudo aduocatiae* in *Ienichenii theſ. iur. feud. tom. I. p.* 903. *Lud. Mart.* KAHLE de *variis feuda aduocatiae conſtit. modis. Nachricht de dominio et aduocatia Mollnenſi. D. G.* STRVBEN *Nebenſtunden P. I. obſ.* 3.

§. 72.

FEVDO IVRIS PATRONATVS conceditur *complexus iurium, quae intuitu fundationis in proviſionem beneficii in certa eccleſia competunt.* In literis inueſtiturae venit ſub nomine *des Kirchen-Lehen* (*a*), vel *des geiſtlichen Lehen* (*b*).

(*a*) *Io. Petr. de* LVDEWIG de *iuribus feudor. cap. XI. qu.* 14 *p.* 773. *Io. Ge.* ESTOR *von Pfarr-Lehn in Heſſen* in *Io. Phil.* KVCHENBECKERI *analectis Haſſiac. collect. VI. p.* 421.

(*b*) Talis eſt formula *mit Herrſchaften, Lehen, Lehenſchaften, geiſtlichen und weltlichen, Zwingen, Bannen, Creyſen, Walden* cet.: in qua verbum, *geiſtlich*

lich und weltlich, non pertinet ad verba insequentia, *Zwingen*, *Bannen*, ad designandam iurisdictionem ecclesiasticam et secularem, vt vult ZECHIVS in meditat. *de iure reformandi* p. 148. et CRAMERVS in *obs. iur. vniu.* obs. 419. §. 9; sed ad verba antecedentia *Lehen und Lehenschaften*, vt in formula apud SCHEIDTIVM in *obseruat. ad Moseri Braunschweig - Luneb. Staats-Recht.* in charta a. 1347. p. 458. *mit Gerichten, Dörfern, Mannschaften, Lehen, geistlich und weltlich, Hölzern, Wiltpan.*

§. 73.

FEVDVM DECIMARVM est, quo *ius decimandi per certum districtum vel per certa praedia conceditur.* Ante *concilium Lateranense III. a.* 1179. decimae tam *seculares* quam *ecclesiasticae* in feudum concessae sunt, perinde ac alia ecclesiae bona. Immo ne huius quidem concilii sanctio, quae laicis ius eas possidendi negauit, *in Germania* vsum obtinuit in decimis *secularibus*, vel in ecclesiasticis *infeudari solitis*, vel alio *speciali titulo* acquisitis (*a*).

(*a*) vid. principia mea *iuris Canonici* §. 646. 647. et syllogem chartarum medii aeui, quibus decimae infeudantur, in append. diss. de *origine decimarum in Germ. tom. III. Elect. iur. ciuilis p.* 111-170.

§. 74.

I. Iure decimandi *vniuersali* in feudum dato, ius decimas exigendi competit intuitu *omnium fructuum*, ex omnibus praediis per determinatum districtum (*a*); nisi exemtio doceatur. II. Iure

deci-

decimandi *indefinite concesso*, ius *nouales* exigendi in feudum datum non intelligitur (*b*), nisi interveniant rationes, ex quibus *hoc* sub *illo* contineri apparet (*c*).

(*a*) c. 13. 30. X. *de Decimis. Christ. Ferd.* HARPPRECHT *de iure decimatoris vniuersalis Sect. II. §.* 13.

(*b*) c. 25. X. *de decimis. Dav. Ge.* STRVBEN *Nebenstunden Part. V. obs.* 35. *§.* 10. *p.* 219.

(*c*) Talis est formula chartae de a. 1345. qua Nobiles Domini de Homburg decimas in feudum dant cum agris *iam nouellatis et in posterum nouellandis* in tomo IV. *Origin. Guelfic. p.* 504. *n.* 38. Conf. *Adolphi Lud.* BOEHMERI diss. sub. praes. *Dan.* NETTELBLADTII *de feudo decimarum quoad pertineat ad nouales* §. 14. 17. *sq.*

§. 75.

FEVDVM PIGNORATITIVM, *Pfand-Lehn*, est, *quo ius pignoris in re, in pignus tradita, infeudatur* (*a*). Obiectum huius *feudi* est *ius pignoris in re tradita* (*b*); ideoque recte vocatur *pignus infeudatum*. 2) Supponit *creditum*, in cuius securitatem constituitur, et quo restituto, feudum ipsum reluitioni obnoxium est (*c*); 3) heredibus feudalibus omnibus extinctis, saluum in eo est heredibus allodialibus *ius retentionis* ob ius crediti.

(*a*) I. SCHILTER *ad ius feud. Alem. c.* 98. Hermannus Hildes. episcopus a. 1166. curtem in Smitenstede pro 70. marcis argenti *Othelrico de Riuo* et *vxori eius et proli vtriusque sexus in pignore posuit et in beneficium contulit, vt eam iure beneficiali possideret. Origin. Guelf.* tom. III. *p.* 495. *Res* ipsa in *pignus*, pignus

 in

in *feudum* conceditur. In charta a. 1277. in SENCKENBERGII *medit. iur. et hist.* p. 265. militi *obligantur bona pro* 70. *libr. arg. vt ea teneat iure feodi, quod vulgariter dicitur Pfant-Lehen.* BVDER in *amoenit. Iur. feud. obs.* 19.

(*b*) Quod obseruandum aduersus *Io. Gottl.* SIEGELIVM, qui in diss. *de feudo pignoratitio, re fundamenti et vtilitatis egena* §. 6. id genus feudi ideo negat, quod rei *propriae*, videlicet infeudatae, *pignus* non possit consistere.

(*c*) *Sam.* STRYK de *feudo pignoratitio cap. IV. Vlr.* MARBACH *de feudo pignorat.* apud *Ienichen tom. III.* p. 156. *Iac.* RAVE *de feudo pignorat.* §. 23.

§. 76.

FEVDVM ANNVAE PRAESTATIONIS est, quod constituitur *in iure determinatos reditus ex re immobili singulis annis percipiendi* (*a*). Eius species sunt 1) FEVDVM DE CAVENA, et 2) FEVDVM DE CAMERA (*b*), prout vel *ius certam portionem vini vel cibi ex cella vel penu domini*, vel *ius determinatam redituum quantitatem ex Camera domini certo anni tempore exigendi* in feudum datur.

(*a*) *II. F* 20. In charta de a. 1347. in SCHANNATI *Clientela Fuld. Cod. Prob.* n. 176. in feudum dantur *reditus V. Marcarum denariorum Fuldensium* de *Camera nostra* annis singulis nomine castrensis feudi. Vocatur saepius *Pfund-Lehen*, *Ius feud. Sax. c.* 10. *Ius feud. Alem. c.* 14. *c.* 23. §. 1. *c.* 24. ibique SCHILTERVS.

(*b*) II. F. 1. II. F. 58. *Ius feud. Alem. c.* 102. *Matth.* ROESCHII diss. de *feudis de Camera et cauena* apud *Ienichen l. c. tom. II.* p. 3.

§. 77.

Affine eſt *feudum in pecunia* ſeu *pecuniarium*, quod conſtituitur in *ſorte pecuniaria.* Quod cum non tam in nummis et in pecunia numerata (*a*), quam potius in *ſorte* et *in iure annuos reditus ex ea percipiendi* conſiſtat: eius conſtitutio conſentanea eſt *analogiae iuris feudalis*, nec indiga *domini territorialis conſenſu* (*b*). Sed exigit eius natura, vt ſecuritati ſortis proſpiciatur (§. 52.): id quod fieri ſolet per hypothecam, vel per aſſignationem ad aerarium publicum. Sunt illius tres ſpecies, cum *vel* dominus retinet ſortem, in feudum datam, *vel* ſortem apud tertium, *vel* eandem, apud ipſum vaſallum ſub hypotheca locatam, in feudum concedit (*c*).

(*a*) In qua multi ſine idonea ratione hoc feudi genus conſtituunt cum LYNCKERO *de feudo pecuniario* §. 8.

(*b*) Quod obſeruandum aduerſus CARPZOVIVM *P.* 3. *Conſt.* 30. *def.* 10. et STRVVIVM in *Synt. iur. feud. c.* 4. *aph.* 3. LYNCKERVM *de feudo pecuniario* §. 15. Errorem agnouit TITIVS in *Teutſchen Lehn-Recht c.* 9. §. 26. RHETIVS in *comm. ad ius feud. lib. I. tit.* I. *n.* 38.

(*c*) *Chriſt. Lud.* STIEGLITZ de *iuribus et act. feudi titulo conceſſis* §. 23. 27. *Iac. Aug.* FRANCKENSTEIN *de feudo in pecunia conſiſtente* et *Andr.* MYLIVS de eod. arg. apud *Ienichen l. c. tom. III. p.* 88. *et* 62.

§. 78.

Vnde pro feudo pecuniario haberi nequit 1) *quantitas pecuniae, vi pacti ſpecialis in caſu ſucceſſio-*

nis ex feudo alicui ſoluenda, veluti *coheredi feudali* ex pacto diuiſionis, vel *ſucceſſoribus allodialibus* ex pactis maiorum (*a*); quae vulgo *der Lehnſtamm* vel *conſtitutum feudale* vocatur: nec 2) pecunia, ex *feudo vendito* redacta (*b*); nec 3) pecunia ad feudum *comparandum* deſtinata, vel ex pacto *convertenda* (*c*). In his exemplis ſors *pecuniaria* manet *allodialis*, tranſitque ad *heredes allodiales;* etiamſi *pacto* effici poſſit, vt ratione *ſucceſſionis* et *diſpoſitionis* iisdem iuribus, quae *in feudo* obtinent, ſit ſubiecta (*d*).

(*a*) *Auguſtin.* BALTHASAR de *pecunia feudali*, in ſpecie *Pomeranica cap. I. ʃ.* 5. B. Parens *conſult. et dec. tom. I. P. II. reſp.* 62. 64. LEYSER ad *Pand. ſpec.* 26. *m.* 8. WERNHER *enunciat.* 475. *Henr.* BROCKES *de iure pecuniae heredibus vltimi poſſeſſ. feudi ſoluenda.* PVFENDORF *obſ. iur. tom. III. obſ.* 148.

(*b*) *II. F.* 26. *ʃ.* 21. CARPZOV *P. III. Conſt.* 30. *def.* 4. 5. 6. 7. 8. WERNHER *P. VII. obſ.* 99.

(*c*) *II.* F. 25. *Io.* BORN *de eo quod iuſtum eſt circa deſtinationem.* STRVV *in Synt. iur. feud. c.* 4. *aph.* 5. *n.* 3. LYNCKER *vol. II. reſp.* 154. CARPZOV *P. III. Conſt.* 30. *def.* 56.

(*d*) *Io. Lud.* ECKARDT de *conſtituto feudali vulgo Revers-Gelder ſeu Revers-quantum Ienae* 1784. *Carl Gottfr.* WINCKLER *de feudi in pecunia conſtituti, pecuniae, et quanti feudalis in creditorum conflictu habenda ratione. Lipſ.* 1787.

§. 79.

FEVDVM HABITATIONIS eſt, quod conſtituitur in *iure habitandi in aedibus domini.* Conceſ-

cessum tantum intelligitur ad vitae tempus, nisi aliud contractu feudali caueatur (*a*).

(*a*) *II. F.* 105.

§. 80.

FEVDVM AEDIFICII est, quo ipsum *aedificium in feudum conceditur*, vulgo *Lehn-Haus* (*a*). Eius species est 1) FEVDVM KEMINATAE, quo *aedificium lapideum priuatae defensionis causa exstructum* (*b*), et 2) FEVDVM CASTRI, quo *castrum* in feudum conceditur, hoc est, *aedificium variis munimentis publicae defensionis causa exstructum* (*c*). Quodsi ea lege in feudum datur, vt defensionis causa domino pateat, *aperibile* vocatur, vel *feudum aperturae* (*d*).

(*a*) BVDER *amoenit. iur. feud. p.* 9. *Io. Henr.* KLOTZ de *feudo aedificii* apud *Ienichen l. c. tom I. p.* 926.

(*b*) *Io. Sam.* BRVNQVELL de *feudo Keminatae* apud *Ienichen l. c. tom. II. p.* 849. *Io. Frid.* SCHANNAT in *client. fuld. c.* 1. *§.* 20.

(*c*) diss. mea de *iurib. ex statu militari vet. Germ. descend. cap. II.* §. 15.

(*d*) Exempla exhibet GVDENVS in *cod. dipl. tom. I. p.* 991. *tom. II. p.* 980. 988. *tom. III. p.* 49. 232. HONTHEIM in *hist. dipl. Treu. tom. I. p.* 587. LVDEWIG *reliqu. Manuscript. tom. X. p.* 170. *Phil. Wilh.* GERCKEN *Vermischte Abhandl. aus dem Lehn- und Teutschen Recht P. II. obs.* 2. *§.* 2. 3.

CAP. IV.

De personis feuda constituentibus.

ARGVMENTVM.

§. 81. *Principia iuris infeudandi.*
82. *Eius restrictiones.*
83. *Dominium directum in sensu stricto et latiori.*
84. *Dominium directum, in specie sic dictum, vel prodominium.*
§. 85. *Vtriusque eadem iura.*
86. *In Germania dominium feudorum prouincialium iunctum est territorio.*
87. *Ius territorii dominorum circa infeudationem.*

§. 81.

DOMINVS FEVDI in sensu *generali* est, *qui feudum iure proprio constituit.* Feudum constituere potest, qui tum *liberam* habet de *bonis disponendi* facultatem (*a*), tum qui sibi stipulari potest *fidelitatem*, quam *natura feudi* desiderat.

(*a*) II. F. 3. pr.

§. 82.

Ex quo intelligitur, 1) *alienandi facultate* iure communi vel *ademta* vel *restricta*, simul *ademtam* vel *restrictam* esse *infeudandi potestatem* (*a*); 2) ius feudum sub nexu seruitiorum *militarium* constituendi non nisi eius esse, cui ius est *milites habendi*, eosue saltem *in seruitium feudi* adducendi: quod

quod ius olim fuit nobilium (*b*); denique 3) ius infeudandi bona sub nexu *fidelitatis*, *extra militiam praestandae*, pendere a *libera bonorum dispositione*. Ceterum nec sola *sexus* nec *status*, nec *subiectionis* ratio impedimento est iuri infeudandi (*c*).

(*a*) STRVVIVS in *Synt. iur. feud. c.* 5. *§.* 4. 5. HORN *I. F. c.* 5. *§.* 18.

(*b*) Exempla nobilium, alios nobiles vasallos habentium, recenset *Christ. Lud.* SCHEIDT *vom Adel in mantissa doc. p.* 421. 427. *Dav. Ge.* STRVBEN *Rechtl. Bedenken p. II. N.* 142. *Alb. Ge.* SCHWARTZ *Pommersche und Rugianische Lehns-Historie P.* 2. *p.* 150. BVDERVS in *amoenit. iur. feud. obs.* 16. Conf. *Io. Ge.* ESTOR *kleine Schriften Part. III. tom. I. p.* 701. *et Part. X. obs.* 5. *tom. III. p.* 339.

(*c*) II. F. 3. §. 4. *Huld.* AB EYBEN *Elect. iur. feud. c.* 8. *§.* 9. STRVVIVS in *S. I. F. c.* 5. *§.* 3. f.

§. 83.

Dominium directum vel in sensu *stricto* accipitur pro parte proprietatis iuxta §. 35. vel in sensu *latiori* pro *complexu iurium, quae competunt domino directo intuitu feudi constituti: die Lehnsherrschaft, Lehnherrlichkeit, Lehnsherrliche Rechte.* In persona domini directi vtrumque considerandum est.

§. 84.

Vtrumque competere potest vel *quoad substantiam ipsam*, vel *quoad exercitium* tantum. Si illud, est DOMINIVM DIRECTVM in specie sic dictum;

dictum; sin hoc, est PRODOMINIVM, seu *exercitium dominii directi, virtute alius iuris proprii competens.* In prodominio directo ponimus, dominium directum *quoad ius* ad alium pertinere. Ratione *iuris proprii*, vi cuius competit, est vel SVBLIME, quod *vi imperii ciuilis*, vel SIMPLEX, *quod alio iure, quam vi imperii ciuilis competit,* velluti vi praelaturae, vel senioratus in familia (*a*).

(*a*) Diss. mea de *impedita feudor. consolidatione c.* I. §. 4.

§. 85.

Quae *dominii*, eadem et *prodominii* iura sunt: nisi vel quaedam prodominii iura his, ad quos dominium directum quoad ius pertinet, *reseruata* sint, vel ad eorum *consensum* adstricta (*a*). Hinc prodomino competit ius *reinfeudandi bona infeudari solita*, nisi hoc sit speciali ratione restrictum (*b*) (§. 56. 57.).

(*a*) STRYK de *prodomino feudi directo cap. II.*

(*b*) *II. F.* 35. *c.* 2. X. *de feud.* STRVVIVS l. c. c.V. §. 9. *n.* 2. *Andr.* GAIL. *lib.* 2. *obs.* 161. *n.* 4. 5. *Dav. Ge.* STRVBEN *Nebenst. p.* 1. *obs.* 1. §. 16.

§. 86.

Dominium directum *feudorum prouincialium* in Germania iunctum est territorio vel *seculari* vel *ecclesiastico* (§. 7.): et feuda, siue data siue oblata sint, instar *pertinentiarum territorii* habentur.

Itaque

Itaque ſtatus Imp., cui cuiusque familiae *acquiſitum* eſt territorium, vna cum eodem habet dominium directum feudorum prouincialium ea lege, quam ferunt pacta publica et pacta familiae. Statui Imp. vero, qui iure *dignitatis eccleſiaſticae* praeeſt territorio, prodominium directum eorumdem ſublime competit vi imperii territorialis.

§. 87.

Etiamſi ius domini territorialis in bonis publicis infeudandis reſtrictum eſſe poſſit: id tamen iure communi non obeſt reinfeudationi feudorum prouincialium, tamquam bonorum infeudari ſolitorum. Immo cum reinfeudatio ad tuendum ſtatum publicum territorii pertineat, eadem paſſim pactis publicis vel obſeruantia eſt praeſcripta (*a*).

(*a*) *Auguſtin.* de BALTHASAR *de iure reinfeudationis ſpeciatim refirmationis feudi in Pomerania cap. II. et III.* tract. meus de *ind. et nat. expectat. et inueſt. feud.* c. I. §. 6.

CAP.

CAP. V.

De personis feuda acquirentibus.

ARGVMENTVM.

§. 88. *Vasallus et Prouasallus.*
89. *Quinam sint feudorum capaces?*
90. *Incapaces quatenus ad feuda admittantur?*
91. *Quinam capaces sint vel non,* 1) *ratione sexus,*
92. 2) *ratione defectus animi et corporis,*
93. 3) *ratione status ecclesiastici,*
§. 94. 4) *ratione status ciuilis tum secundum ius Longobardicum,*
95. *tum secundum ius Germanicum*
96. *et ius hodiernum?*
97. *Distinctio inter feuda nobilia et ignobilia.*
98. 5) *ratione aetatis et status familiae,*
99. 6) *ratione dignitatis.*

§. 88.

VASALLVS in genere est, *cui feudum constituitur* (*a*). Vasallo *dominium vtile* competere potest vel *quoad substantiam ipsam*, vel *quoad exercitium* tantum. Si illud, est vasallus *in specie* sic dictus; sin hoc, est *prouasallus*, Lehn-Träger, *cui vi iuris proprii competit exercitium iurium et obligationum ex feudo, alteri constituto* (*b*). Hoc aestimatur ex natura *iuris proprii*, ex quo competit. Prouasallus vel *sublimis* est, qui talis est vi imperii ciuilis, vel *simplex*, qui talis est vi alius iuris, quam vi imperii ciuilis: veluti vi *dignitatis*, cui annexum est prouasallagium, vel vi *conuentionis*

spe-

ſpecialis vel *pactorum familiae*, quibus definiuntur iura prouaſalli. Vt prouaſallus vi ſpecialis conuentionis admittatur, conſenſu domini opus eſt.

(*a*) Vocatur *homo*, et in vernacula, *Mann*, *Lehn-Mann*, vt in Charta Henrici et Marquardi Comitum de Solms de a. 1232. in Val. Ferd. de Gudenus Cod. dipl. tom. II. p. 60. *pro quo vterque*, (Gerwinus miles de Garvenheim et filius eiusdem) *homines noſtri ſunt effecti*. Frequenter dicitur *cliens*, *fidelis*, I. F. 1. §. 2. I. F. 4. I. F. 55. nec non *miles*, I. F. 19. 21. 23. II. F. 21. 22. 26. vid. Conſtitut. CONRADI *Salici de beneficiis de a*. 1037. *Chriſt. Lud.* SCHEIDT vom Adel p. 71. 249.

(*b*) Eius origines tradit *Franc. Car.* CONRADI de *Provaſallis ex iure feud. Germ.* §. 8. ſ. Differt 1) a *procuratore* ad inueſtituram ſuſcipiendam, *Gewalt-Träger*, 2) a *ſubſtituto feudali*, ad certum ſeruitium feudale obeundum delegato.

§. 89.

Feudorum capax habetur, qui tum in vniuerſum eſt capax *dominii vtilis* acquirendi, tum idoneus ad *fidelitatem*, quam *natura feudorum* deſiderat, hoc eſt, ad *ſeruitia militaria* praeſtanda (*a*). Ad *alterutrum* inhabilis, *feudorum incapax* eſt.

(*a*) II. F. 21. in f. ibi: *nec beneficium pertinet ad eum, qui non debet gerere officium*. II. F. 36 ibi: *quia feudum ſeruire non valet*. *Io. Henr.* BOECLER de *perſonis feudorum capacibus*.

§. 90.

Cum excluſio incapacium a feudis tantum pertineat ad *naturam feudi*: conſequitur, vt 1) feudorum

dorum expertes ex *ſpeciali domini voluntate* certi feudi acquirendi capaces fieri poſſint (*a*), quoties defectus non niſi *praeiudicium domini* concernit (§. 37.): 2) vt iidem hodienum feudorum haud capaces *praeſumantur* tamdiu, donec de *contraria domini voluntate* vel de *contraria curiae feudalis obſeruantia* appareat; denique 3) ab arbitrio domini pendeat, *qua lege* is eosdem admittere velit; quod ſaepe factum eſt ſub lege *conſtituendi prouaſallum* (*b*).

(*a*) Admiſſio incapacium olim adſtricta erat *ad eorum perſonam*. *Ius feud. Sax. art.* 55. *et Alemann. c.* 1. *§.* 4. *c.* 103. §. 4. Sed hoc diu antiquatum eſt, tot inhabilibus frequenter et maxime in *feudis oblatis* admiſſis.

(*b*) CONRADI *l. c.* §. 17.

§. 91.

Ex ratione *militiae agendae* I. feudorum capaces tantum ſunt *maſculi*, non *feminae* (*a*). Cum vero feminae ex ſpeciali *domini voluntate* ad feudi acquiſitionem frequenter admiſſae ſint (*b*): orta inde eſt diſtinctio feudorum in MASCVLINA, *quae maſculis tantum*, et in FEMININA, *quae etiam feminis ſunt conſtituta;* ſiue haec a femina ſint *primum acquiſita*, ſiue *deſcendentibus feminis* primi acquirentis ſimul conſtituta. Illa vocantur feuda *feminina per ſe* talia, h. e. vi legis (*c*), haec *ex pacto* talia.

(*a*) I.

(*a*) I. F. 8. §. 2. II. F. 36. *Vet. Auct. de benef. §.* 4. I. F. Sax. c. 2. *Ius feud. Alem. c.* 1. *§.* 4. LVDOVICVS *Bauarus* in dipl. de a. 1317. in *Ge. Christ.* IOANNIS *spicilegio tabularum p.* 412. filias nobiles de Breuberg prius *habiles*, *idoneas* et *capaces declarat* ad tenendum feudum, quam eas inuestiuit.

(*b*) Quod saepe factum est sub lege constituendi prouasallum. *Ius feud. Alem. c.* 103. §. *2.* 3. 4. In transactione inter Electorem Coloniensem et vasallos a. 1659. inita in *Wernh.* THVMERMVTI tr. *Krummstab schleust niemand aus* in annex. p. 4. 40. conuentum est art. 2. *dass selbige durch eine Manns-Person behörlich bedienet und vertreten werden.*

(*c*) II. F. 30. et 50. II. F. 11.

§. 92.

II. Feudorum incapaces sunt, qui ob *defectum animi*, *vel corporis*, *vel famae*, inhabiles sunt ad *seruitium feudale*, vt dementes et furiosi, coeci, surdi et muti (*a*), infames (*b*).

(*a*) I. F. 6. §. 2. II. F. 36. in f. vbi negans sententia probatur ab analogia *feminarum* et *clericorum*, a feudis exclusorum: id quod conuenit Germaniae moribus *I. Prov. Sax. lib. I. art.* 4. *Henr. de* BERGER disq. *vtrum et quousque surdi et muti feudorum sint capaces? §.* 7. *Io. Goth.* BAVER de *personis communis Sax. manus capacibus §.* 10. in *Opusc. tom. II. p.* 320.

(*b*) *Ius Feud. Sax. art.* 2. *I. F. A. art.* 1. *§.* 4. *Vet. Auctor de benef.* §. 4. BAVER *l. c.* §. 19.

§. 93.

Quae ex defectu animi vel corporis oritur incapacitas, in feudo vel de nouo vel vi successi-

onis acquirendo attenditur. Quod si superuenerit post feudum iam acquisitum: rationem eius amittendi non continet, cum pro casu fortuito habenda sit (*a*).

(*a*) *I. Prov. Sax. lib. I. art.* 4. *I. Feud. Sax. c.* 30. *Hart.* PISTOR *quaest. iur. lib. II. qu.* 32.

§. 94.

III. Sunt porro ob eandem ad *seruitia* inhabilitatem feudorum incapaces *clerici*, *monachi*, *personae mysticae*, videlicet vniuersitates ecclesiasticae et seculares (*a*). Sed et his ex speciali *dominorum indulgentia* frequenter data sunt feuda sub lege, *constituendi prouasallum* (*b*). Euenit inde, vt postquam feuda, *ecclesiis* data, annexa sunt *praelaturis* et *beneficiis ecclesiasticis*, eadem iure praelaturae et beneficii conferantur *ad haec promotis*, ceu *ecclesiae prouasallis* (*c*).

(*a*) II. F. 21. II. F. 26. §. 5. II. F. 30. et 36. Conspirat ius antiquum Germanicum, quo clerici feudorum expertes censentur, *Ius feud. Sax. cap.* 2. *I. F. A. c.* I. §. 4. *Vet. auct. de benef.* §. 4. quamquam clerici ex speciali *gratia domini*, perinde ac *feminae*, ad feuda adspirauerint. *I. F. A. cap. III.* §. I.

(*b*) Exemplum prouasallorum, pro *vniuersitate*, cui feudum datum erat, constitutorum, vid. in charta de a. 1276. apud *Val. Ferd. de* GVDENVS *l. c. tom. II. p.* 197. *Aduocatos ecclesiae*, ceu eius prouasallos sistunt exempla in *Henr.* TOELNERI *hist. Palat. in cod. Probat. n.* 27. *et* 33. *p.* 23. 29. LVNIG *corp. iur. feud. tom. I. p.* 494. 845. *tom. II. p.* 1027. *tom. III. p.* 75.

(*c*) Hinc

(c) Hinc praelati et epiſcopi, ceu prouaſalli eccleſiarum ſuarum, in *clypeo militari* recenſentur.

§. 95.

IV. *Ingenui omnes*, ſine diſcrimine ſtatus ciuilis, *iure Longobardico* capaces ſunt feudorum. Recenſentur inter Longobardos quatuor vaſallorum ordines (*a*), 1) *capitaneorum*, 2) *valuaſorum maiorum*, quorum illi feudum, cui annexa eſt *dignitas regni*, hi feudum, cui talis dignitas annexa non eſt, immediate tenent a rege, 3) *valvaſorum minorum*, qui a prioribus, et 4) *valuaſinorum*, qui ab his iterum feuda tenent, et *ingenui* ex plebe ſunt (*b*). Pertinet haec partitio ad inſtituta *Longobardis propria*, in Germania numquam adoptata.

(*a*) I. F. 1. pr. II. F. 10. I. F. 7. 15. 16. II. F. 53. Tres ordines recenſet OTTO FRISINGENSIS *de geſt. Friderici I. lib.* 2. *c.* 13. *Capitaneorum*, *valuaſorum*, *plebis*.

(*b*) Quamquam Valuaſini ab antiquo vſum feudi non habuerint: deinceps tamen *valuaſoribus* exaequati ſunt. I. F. 7. *Chriſt. Lebrecht* KREBEL *de diuerſis vaſallorum ordinibus Lipſ.* 1763.

§. 96.

Iure Germanico nobiles tantum et *ingenui ex ordine militari*, *von Ritter-Art*, feudorum militarium, perinde ac militiae equeſtris, capaces fuerunt (*a*); nec ad ea adſpirabant ingenui ex ordine ciuico, niſi vel *volente domino* (*b*), vel ex ſpe-

 ciali

ciali *Imperatoris* indulgentia, qua declarati ſunt feudorum capaces (*c*).

(*a*) *I. F. S. art.* 1. *I. F. A. c.* 1. *Auct. vet. de benef.* §. 3. Doctrina ſpeculatorum iuris feudalis *de ſeptem clypeis militaribus* neque *vaſallorum*, neque *militum*, neque *nobilium* ordines comprehendit, prout de his varie ſentiunt SCHILTER in *comm. ad ius feud. Alem. c.* 1. *I. G.* ESTOR de *Miniſterial. p.* 425. *Euch. Gottl.* RINCK de *Clypeorum ratione habenda in feudis alienandis. Io. Mich.* LANGGVT in *animaduerſ. ad Coccei hypomnem. iur. feud. p.* 169. *Chriſt. Henr. de* SENCKENBERG de *ordinibus exercitus Germ.* ſed ad *omnes*, eosque *diuerſos ſtatus ciuiles* pertinere videtur, ſiue ab *immedietate*, ſiue a *nexu feudali*, ſiue a *nexu miniſteriali*, ſiue a *ſola ingenuitate*, quae tribuitur *den Semperleuten*, dignationem haberent. *Car. Henr.* MÖLLERI *diſtinct. feud. p.* 207.

(*b*) *Ius feud. Alem. c.* 1. §. 5.

(*c*) Imperatorum priuilegiis ingenui ex ciuico ordine in nonnullis *ciuitatibus* non modo, ſed et in integris *territoriis* feudorum capaces declarati ſunt: vt ciues *Nordhuſani* ex priuilegio RVDOLPHI *Habsb. a.* 1280. in *Chriſt. Frider.* AYRMANNI *Syll. anecdot. p.* 304. ciues *Spirenſes* ex priuilegio LVDOVICI *Bau.* et CAROLI IV. a. 1315. 1347. in LVNIGII *C. I. F. tom. I. p.* 1191. et LEHMANNI *Chron. Spir. p.* 699. omnes *Misniae* et *Thuringiae* ciues ex *eorundem Impp.* priuilegio a. 1319. et 1350. in *God. Lud.* MENCKEN diſſ. de *iurib. ciuium Misniae et Thuring. acquirendi feuda equeſtria* §. 6. *Chriſt. Gottl.* BIENERI diſſ. de *ciuibus praeſertim Saxonicis feudorum equeſtrium capacibus cap. II.* ciues *Goslarienſes* ex priuil. LVDOVICI *Bau.* a. 1340. in *Braunſchweig. Anzeigen de a.* 1755. *n.* 104. p. 2086. ciues *Brunſuicenſes* ex priuilegio Alberti III. a. 1438. in Henrici Iulii *deduct. contra ciuit. Brunſ. Part. II. p.* 702. et in SCHEIDT *tr. vom Adel.* p. 423.

§. 97.

§. 97.

Sed obſeruandum eſt, I. iure Longobardico recepto, etiam *ingenuos ex ciuico ordine* per Germaniam feudorum capaces eſſe, eosque nec hodie ab eorum acquiſitione excludi, niſi vi *iuris vel obſeruantiae particularis* (*a*): deinde II. inter incrementa inſtituti feudalis nata eſſe feuda, quorum intuitu *ſeruitia militaria* non debentur, in quibus nulla interuenit ratio *eosdem* excludendi.

(*a*) *Io. Ge.* CRAMER de *iurib. nobilit. auitae c.* 5. *ʃ.* 5. *p.* 417. LEYSER de *feud. Brunſu.* in addit. §. 35. BAVER *l. c.* §. 34. LVNIG in *corp. iur. feud. tom. II. p.* 527. De *iure ingenuorum acquirendi feuda* docte diſputat LEDDERHOSE in ZEPERNICK *analect. iur. feud. tom. II. obſ.* 30.

§. 98.

Denique III. inde effectum eſt, vt cum ingenui acquirerent feuda, quorum intuitu ſeruitia *militaria* debentur, immunitates quoque et *iura praecipua*, quae olim *nobili* feudi *poſſeſſori* intuitu feudi competebant, in poſſeſſores *ingenuos* tranſirent, eaque vel ipſa obſeruantia vel expreſſa conceſſione cum feudo connecti et realia fieri coeperint: quorum complexus *nobilitatem realem* conſtituit. Nata inde eſt diſtinctio inter feuda NOBILIA, *quibus annexa ſunt iura nobilitatis realis*, et IGNOBILIA, *quibus talia iura non ſunt annexa. Ignobiles*, feuda *nobilia* acquirentes, compotes

 fiunt

fiunt iurium, *iisdem annexorum*, quoad haec non ſimul *perſonae* inhaerent: *nobiles*, feuda *ignobilia* acquirentes, obnoxii ſunt *oneribus*, quae ex his debentur (*a*).

(*a*) MEVIVS *P.* 3. *dec.* 181. *P.* 4. *dec.* 33. *de* PVFENDORF *tom. III. obſ.* 103. LEYSER de *iur. praediorum nobilium* in *medit. ad Pand.* ſpec. 665. *Chriſt. Gottl.* RICCIVS *vom Landſäſſigen Adel P. II. c.* 20. HERTIVS de *feudo nob. Io.* STRAVCH de *feudo nob. Henr.* HILDEBRAND de *feudo clypeari. Caſp. Ach.* BECK de *vera indole feudi et officii nobilis.*

§. 99.

V. *Aetate* tantum impediti ad ſeruitia feudalia praeſtanda, feudorum incapaces non ſunt. Ideoque 1) *pupillus*, 2) filius infra aetatem in *patria poteſtate* conſtitutus, 3) et *minor* feudum acquirere poteſt, eodem modo, quo bonorum acquiſitio ab his iure communi fieri poteſt (*a*). Poſita vero feudi acquiſitione, ponenda eſt in iis omnibus obligatio ad ſeruitia, feudo inhaerens: quamquam eorum vel praeſtatio per ſubſtitutum, vel redemtio admiſſa eſſe cenſeatur.

(*a*) Pupillorum et infantum obligationem ad ſeruitia *claudicare*, eosque *ad ſeruitia* non obligatos, ſed haec tacite a domino remiſſa eſſe, cenſet HORNIVS in *iurispr. feud. c. V. §.* 31. STRVVIVS in *Synt. iur. feud. c. V. §.* 33. Quod dici nequit de *obligatione reali*, feudo annexa. *I. G.* BAVER de *perſonis communis Sax. manus capacibus §.* 24.

§. 100.

§. 100.

Cum nexus feudalis contractu feudali constituatur, habitusque semper sit in magno honore: non modo *aequalis* ab aequali, sed et *superior* ab inferiori feuda accipere potest. Vnde *Status Imp.* ab aliis Imperii statibus feuda prouincialia tenent (*a*): et nonnunquam *dominus* a suo vasallo (*b*), vel *prodominus* a republica, cui praeest (*c*).

(*a*) *Io. Iac.* MOSERI *Teutsche Lehns-Verfassung P.* 2. *cap.* 1. 2.

(*b*) *Dav. Ge.* STRVBEN *Neben-Stunden* tom. I. p. 379. LEYSER de *feud. Brunsu. in app.* §. 24. SCHEIDT in *obs. ad Moseri Braunschweig-Lüneb. Staatsrecht* p. 131. LVDOVICI de *domino vasalli vasallo*.

(*c*) *II. F.* 100.

CAP. VI.

De constitutione feudi per inuestituram.

ARGVMENTVM.

§. 101. *Natura inuestiturae.*
102. *Constat actu traditionis, et actu inaugurationis.*
103. *Est vel propria vel abusiua.*
104. *Per legem inuestiturae determinantur naturalia feudi.*
105. *Effectus inuestiturae a) ratione feudi constituendi,*
106. *b) ratione iuris circa possessionem feudi.*
107. *Concessio inuestiturae, a quo fiat?*
108. *Cui facienda et intra quod tempus?*
§. 109. *An per procuratorem accipi possit?*
110. *Modus eam concedendi 1) ad tempus, vel in perpetuum,*
111. *2) indefinite et definite,*
112. *3) vel vni tantum vel pluribus simul,*
113. *4) pure et euentualiter.*
114. *Literae inuestiturae.*
115. *Per eas et peragi potest inuestitura et probari.*
116. *Literae reuersales.*

§. 101.

In feudo constituendo et acquirendo interuenit I. *titulus* ad dominium vtile acquirendum habilis; siue hic cum *domino directo*, siue cum *vasallo* ex *domini consensu* ineatur, et II. ipsa *constitutio feudi*, quae fit per INVESTITVRAM, quae est *actus solennis, quo vi interuenientis iusti tituli dominus directus dominium vtile certae rei in alterum transfert sub promissione mutuae fidelitatis.* Recepta est ex mori-

moribus Germanorum, quibus ſolet ius in re in alterum *auctoritate iudiciali* transferri (*a*). Ad analogiam iuris Romani vero haec ceſſio *iuris* vocari ſolet traditio, cum peragatur vel *re ipſa tradita*, vel traditis *ſymbolis rei abſentis*, eo animo eoque pacto adhibitis, vt per illa *ius in re ſignificata* translatum intelligatur (*b*).

(*a*) Exemplum, quo *ſolum documentum* traditum eſt in ſymbolum iuris translati, exhibet GVDENVS *Cod. dipl. tom. I.* ex charta venditionis capituli Spirenſis de a. 1235. n. 217. p. 537. *In ſignum translationis dominii, priuilegium ei tradidimus ſuper donatione memoratae imperatricis eccleſiae noſtrae conceſſum.* Moribus Germanorum per *traditionem ſymbolicam* agitur tantum de *iure in re* transferendo: ex eoque intelligitur ratio, quod peragi poſſit *re abſente*. Vt per illam ſimul *poſſeſſio* transferatur, vel *rem ipſam* vel ſymbola *in re praeſenti* tradere oportet. *Eſ. Frid.* PVFENDORFIVS *obſ. iur. vniu. tom. I. obſ.* 2.

(*b*) Originem *vocis* inueſtiturae nec ab *habitu inaugurali* vaſallorum, nec cum WACHTERO a voce *Wiſt*, praeſentia, et *Weſen*, eſſe in loco, rem per ſymbolum praeſentare, nec a voce *veſt*, *beveſtigen*, quod multis placuit, ſed ex *Latio* repetendam eſſe, a voce *veſtire* et *inueſtire*, tradidi in tr. de *ind. et nat. exſpectatiuae et inueſtiturae feudal. c. II. ȣ.* 40.

§. 102.

Quaecunque pertinent ad conſtitutionem feudi, per inueſtituram explicantur (*a*). Itaque inveſtitura conſtat tum I. *actu traditionis*, tum II. actu *inaugurationis*, qui concernit ea, quae pertinent ad mutuae fidelitatis promiſſionem (*b*).

 Vter-

Vterque actus peragitur inter *solennia*, lege, obseruantia vel conuentione determinata: quorum alia concernunt ipsum *actum inuestiturae*, in *praesentia parium (c)*, seu in *iudicio feudali* peragendum: *alia* consistunt in *Symbolis*, quae vel in *iuris translati* vel in *reuerentiae significationem* adhibentur (*d*), in quibus multum datum est *genio seculi* et *honori Domini* et *vasalli.* Inter symbola referuntur *vexillum*, *hasta*, *gladius* (*e*), *sceptrum*, *osculumue sceptri*, vel symbolorum *contactus*. Parem vim cum his habet *declaratio coram paribus facta de iure feudi transferendo (f)*.

(*a*) II. F. 2. §. 2. 3. II. F. 18. I. F. 20.

(*b*) Ita actus inuestiturae distinguit *Gottl. Sam.* TREVER in diss. *de inuestitura per sceptrum.* §. 4. Vid. ESTOR de *inaugurationibus beneficiariis*, *harum symbolis et ritib.* et tract. meus de *ind. et nat. exspect. et inuestit. cap. II.* §. 36.

(*c*) II. F. 2. et 23. II. F. 58. §. 6. *Ius feud. Alem. cap.* 100. §. 3.

(*d*) *I. F. Alem. c.* 43. *I. F. Sax. art.* 22.

(*e*) *Io.* HEVMANN de *inuestitura per gladium in op. p.* 708. *Christ. Gottl.* BVDER de *inuest. per gladium comitum et nobilium*, in *amoenit. iur. feud. p.* 113. Exempla inuestiturae per *pileum* et per *galeam* seu *cupheum* occurrunt in *Origin. Guelf. tom. IV. p.* 11. 99. et in *Praef. p.* 81. *Ad. Henr.* LACKMANNI diss. *de symbolica inuestiendi ratione per pileum*, *Lud. Mart.* KAHLE de *inuestitura per birettum.*

(*f*) II. F. 33.

§. 103.

§. 103.

Inueſtitura I. ex moribus Germanorum conſiderata recte dici poteſt *ſymbolica:* in qua transferendi dominii vtilis, non vero poſſeſſionis transferendae ratio habetur, quae pertinet ad eius implementum (*a*). Poteſt tamen inueſtitura ex voluntate Domini coniuncta eſſe cum *traditione poſſeſſionis feudi* tam *vera*, quam *ficta:* quo intuitu Longobardi eam diſtinguunt in PROPRIAM, *quae coniuncta eſt cum actuali feudi traditione*, velvti per immiſſionem in eius poſſeſſionem, vel in ABVSIVAM ſeu IMPROPRIAM, *quae peragitur interveniente ficta feudi traditione* (*b*). Solent tamen interpretes inueſtituram *abuſiuam* in latiori ſignificatu accipere de inueſtitura per ſymbola peracta ſine diſcrimine, vtrum de dominio vtili clientelari tantum, an ſimul de poſſeſſione feudi transferenda agatur (*c*).

(*a*) Vi inueſtiturae enim dominus ad *tradendam* poſſeſſionem feudi obligatur, II. F. 7. §. 1. II. F. 8. pr. II. F. 26. §. 14. II. F. 88. In iure *feud. Sax.* *art.* 11. *et* 59. et in *iur. feud. Alem.* c. 13. §. 1. vocatur *Lehn ohne Gewehr.*

(*b*) II. F. 2. pr. *Inueſtitura quidem proprie dicitur poſſeſſio* (ſeu poſſeſſionis translatio) *abuſiuo tamen modo dicitur inueſtitura, quando haſta vel aliud corporeum quidlibet porrigitur a domino feudi, ſe inueſtituram facere dicente.* II. F. 33. pr. *Sciendum eſt, feudum acquiri inueſtitura, ſucceſſione, vel eo, quod habeatur pro inueſtitura, vt ecce, ſi dominus alicui coram paribus curiae dixerit: Vade in poſſeſſionem illius fundi,*

di, et teneas illum pro feudo. Licet enim non intercessisset inuestitura: tamen tale est, ac si intercessisset: quia ille eius voluntate possessionem fundi nactus est feudi nomine.

(*c*) vid. tr. de *indole expect.* et *inuestit. feud.* §. 46. 50.

§. 104.

In inuestitura II. simul determinari possunt iura et obligationes domini et vasalli intuitu feudi constituti. *Pactum, in inuestitura conuentum, quo haec determinantur,* est LEX INVESTITVRAE: quae est fundamentum *iurium* et *obligationum circa feudum.* Per legem inuestiturae igitur naturalibus feudi aliquid vel addi vel detrahi potest (§. 37. 38.) (*a*).

(*a*) II. F. 2. §. 2. *Si aliquis tenor praeter communem feudi rationem in inuestitura dicatur interuenisse.* II. F. 2. §. 3. *Si vasallus per pactum speciale contra feudi consuetudinem allegat, veluti de filiarum successione, liceat ei tenorem, si potest, sicut inuestituram probare.* II. F. 12. pr. *nisi facta fuerit eo pacto inuestitura.* I. F. 18. I. F. 20.

§. 105.

Ex his III. intelligitur Principium iuris feudalis: *feudum per solam inuestituram constitui* (*a*): cuius consequens est, per inuestituram, siue *propria* siue *abusiua* sit, ius in re et *dominium utile* iuxta legem inuestiturae transferri (*b*), eamque ideo esse *modum acquirendi* iuris feudalis.

(*a*) I.

(*a*) I. F. 25. *Sciendum eſt, feudum ſine inueſtitura nullo modo conſtitui poſſe.* II. F. 1. §. 1. II. F. 11. II. F. 33. cit. tract. de *ind. expectat. et inueſtit.* §. 42.
(*b*) II. F. 8. pr.

§. 106.

Vi *inueſtiturae* itaque 1) dominus *poſſeſſionem feudi* inueſtito *tradere* obligatur (*a*): 2) per eam non modo inueſtito ius datum cenſetur, poſſeſſionem, vbi vacua eſt, iuxta legem inueſtiturae apprehendendi (*b*), verum etiam ius, feudum a quolibet poſſidente *quaſi vindicandi* (*c*); denique 3) poſſeſſio, qua inueſtitus iam inſtructus eſt, per eam confirmatur.

(*a*) I. F. 4. pr. II. F. 7. §. 1. II. F. 26. §. 14.
(*b*) *II. F.* 8. *pr.*
(*c*) II. F. 33. pr. *Huld. ab* EYBEN *in elect. feud. cap. V.* §. 5. 11. HORN *iurispr. feud. cap. XII.* §. 13. GVDELINVS de *feud. P. II. c.* 9. §. 2.

§. 107.

Ius dandi inueſtituram eſt ſolius domini directi, in curia tamen feudali *intra Prouinciam* exercendum (*a*): ipſius vero arbitrii eſt, vtrum *ipſe* eam dare velit, an per *Procuratorem*, *commiſſariumue*, ad hunc actum conſtitutum (*b*). Solet hodie in *curia feudali* peragi; niſi ad *ſolium principis* reuocetur ex dignitate vaſalli.

(*a*) Iura ſingularia vaſallorum circa locum, quo *inueſtitura* petenda eſt, explicat *Chriſt. Gottl.* BVDER de *inue-*

inuestitura extra curiam, praerogatiua vasallorum, in *amoenitat. iur. feud. p.* 20.

(*b*) II. F. 3. §. 2. 3.

§. 108.

Danda est illi, *cui feudum debetur vi iusti tituli praecedentis* (§. 101.): qui ipse de ea impetranda sollicitus esse debet. *Tempus* ad eam petendam *iure feudali* definitum non est: *a domino* vero praefixum exacte obseruandum est, ita vt si *ter admonitus* contumax sit in ea accipienda, in iuris sui iacturam incurrat (*a*).

(*a*) II. F. 24. HORN l. c. *cap. XII. §.* 19. WERNHER *obs. for. Part. III. obs.* 89.

§. 109.

Iure communi vasallo liberum est, inuestituram vel *coram* suscipere, vel *per procuratorem*, speciali mandato instructum (*a*). *Moribus Germaniae medii aeui* eam *praesens* recipere obstringitur, nec *procuratore* vti licet, nisi *ex consensu domini (b)*: idemque *iure particulari* nonnullarum curiarum feudalium hodienum seruatur (*c*).

(*a*) II. F. 3. §. 3.

(*b*) *Obseruat. iur. feud. obs. X. de inuestitura per procuratorem §.* 2. 8. 9.

(*c*) HORN *iurispr. feud. c.* 12. *§.* 23. KOPP *Proben des Teutsch. Lehnrechts Part. I. obs.* 4. §. 3. SCHANNAT in *client. Fuld.* p. 35.

§. 110.

§. 110.

Modus inueſtiendi determinatur per *Legem inueſtiturae.* Feudum I. per inueſtituram conſtitui poteſt vel *ad tempus definitum* (*a*), vel *in perpetuum.* Poſterius iure feudali ad naturalia inueſtiturae pertinet (*b*).

(*a*) Exempla feudi adhuc ſec. XIV. ad *dies vitae* adſtricti habet GVDENVS in *Cod. dipl. tom. II. p.* 1189. 1284. et SCHANNAT in *Clientel. Fuld. in Cod. prob. n.* 330. *p.* 303. *n.* 365. 367. *p.* 313.

(*b*) II. F. 23. in f. I. F. 14. §. 1.

§. 111.

II. Ratione eorum, qui inueſtiuntur, feudum per inueſtituram conſtitui poteſt *indefinite*, quo caſu *deſcendentibus* inueſtiti *legitimis*, *feudorumque capacibus* feudum conſtitutum eſſe cenſetur: vel *definite*, hoc eſt, definitis certis perſonis, in lege inueſtiturae comprehenſis. Vtroque caſu feudum tam *inueſtito*, qui et *primus acquirens* vocatur, quam *omnibus in inueſtitura comprehenſis*, conſtitutum eſſe cenſetur ſecundum legem inueſtiturae (§. 45.).

§. 112.

Prout III. inueſtitura vel *vni* vel *pluribus* ſimul fit de eodem feudo, vel *ſingularis* eſt vel *ſimultanea.* Poſterior dari poteſt duplici modo, cum

vel

vel idem feudum pluribus confertur pro partibus indiuiſis, ita vt omnes quidem ſint in eiusdem feudi communione, vnicuique vero pars indiuiſa eiusdem feudi tantum competat, quae *ſimultanea inueſtitura iuris communis* vocatur (*a*); *vel* idem feudum pluribus in ſolidum confertur, ita vt idem feudum ſecundum legem inueſtiturae vni principaliter, alteri vero eadem infeudatione *ſucceſſionis cauſa* in ſolidum, *in das Samt*, conſtituatur, quae eſt *ſimultanea inueſtitura iuris Germanici:* de qua agendum eſt cap. X. (*b*).

(*a*) I. F. 1. I. F. 8. §. 3. I. F. 14. §. 2. II. F. 12. et 18. *Vet. auct. de benef. c. I.* §. 83. *Ius feud. Alem. c.* 65. *Ius feud. Sax. art.* 34. Vid. *obſeru. iur. feud. obſ. VIII.* de *feudi communis diuiſione* §. 1. *et* 3. *Auguſt. de* BALTHASAR de *indole ſimultaneae iuris Germ. inueſtiturae eiusque cum iure Longob. collatione. Franc. Iuſt.* KORTHOLD de *ſimult. inueſtitura Haſſiaca* §. 9. 10.

(*c*) vid. diſſ. de *inueſtitura ſimult. euentuali c.* I. §. 18. 19.

§. 113.

Prout tandem IV. feudum vel ſimpliciter alicui conſtituitur vel in *certum euentum;* inueſtitura vel *pura* vel *euentualis* eſt. *Haec* ab euentu et conditione, quae ei adiecta eſt, ſuſpenſa, vim demum capit *exiſtente euentu;* ideoque ius in re et dominium vtile *euentuale* tantum tribuit (*a*).

(*a*) I. F. 9. II. F. 26. §. 2.

§. 114.

§. 114.

Literae investitvrae ſunt *inſtrumentum, auctoritate domini directi confectum de his, quae pertinent ad inueſtituram* (*a*). Expediuntur in curia feudali domini directi: in iisque continetur 1) deſignatio *feudi*, iuriumue et rerum ad id ſpectantium, 2) deſcriptio eorum; quae ad inueſtituram pertinent (*b*).

(*a*) Ab his ergo differt *breue teſtatum*, cuius mentio fit I. F. 4. II. F. 32. quod petenti datur in teſtimonium peractae inueſtiturae. vid. BIENERI diſſ. de *protocollo feudali Lipſ.* 1788. Memoriam literarum inueſtiturae, Henrico IV. Imp. antiquiorem, non occurrere, obſeruat *Io. Dan.* GRVBERVS in notis ad *Origines Guelficas tom. IV. p.* 548.

(*b*) *Io. Gottl.* SIEGEL tr. *de literis inueſtiturarum cap. III.*

§. 115.

Itaque literae inueſtiturae non modo pertinent ad *probationem inueſtiturae*, verum etiam *illis traditis* peragi poteſt *inueſtitura* (*a*). Et frequens hodie eſt inueſtitura, praeſtito iureiurando fidelitatis, *traditisque literis inueſtiturae* in iudicio feudali peracta: quae eiusdem eſt effectus ac inueſtitura, ritu ſolenni peracta (*b*), traditis ſymbolis *der Lehns-Binde* vel *der Lehns-Fahne* (*c*).

(*a*) Nota iam olim fuit traditio per chartam. *Gundlingiana P. VII. obſ.* 4. §. 7. *Io. Ge.* ESTOR de *inauguratio-*

gurationibus beneficiariis earumque ſymbolis et ritibus cap. V.

(*b*) II. F. 33. *Eſ. Frid.* PVFENDORFIVS *obſ. iur. vniu. T. I. obſ.* I.

(*c*) SCHEID ad *Moſeri Braunſchw. Lüneb. Staatsrecht* ſ. 101.

§. 116.

Cautelae gratia paſſim receptum eſt, a vaſallo ratione *acceptae inueſtiturae* dari *literas reuerſales*, quae ſunt *inſtrumentum, quo vaſallus feudum ſibi collatum, ſeque ad fidelitatem, eius nomine praeſtandam, obligatum eſſe profitetur* (*a*).

(*a*) *Io. Bernh.* FRIESE *de literis feudi reuerſalibus.*

CAP. VII.

Cap. VII.

De successione feudali legitima.

ARGVMENTVM.

§. 117. *Successio in feudo ordinaria et extraordinaria.*
118. *Eadem acquiritur feudum.*
119. *Duplex est, vel legitima vel specialis.*
120. *Natura successionis legitimae,*
121. *ratione modi succedendi,*
122. *et ratione personarum. Est tantum descendentium legitimorum.*
123. *An detur adoptiuis et legitimatis?*
124. *Datur masculis, non feminis.*
§. 125. *Feminarum successio subsidiaria est vel promiscua.*
126. *Subsidiaria praesumitur,*
127. *et defertur demum, masculis deficientibus.*
128. *Quatenus clericis detur aliisque incapacibus.*
129. *Quomodo differat a successione hereditaria.*
130. *Distinctio in feudum ex pacto et prouidentia et in hereditarium,*
131. *et huius in merum et mixtum.*
132. *Distinctio in feudum antiquum et nouum.*

§. 117.

Successio in feudo fit, si feudum, mortuo vasallo possessore, ad alium deuoluitur sub nexu feudali. *Ordinaria* est, quae fit vi inuestiturae (*a*), et *extraordinaria*, quae alia ratione fit, quam vi inuestiturae. Ordinaria in specie *feudalis* vocatur: et ab ea denominantur *heredes* et *successores feudales.*

 (*a*)

(*a*) I. F. 14. I. F. 20. II. F. 11. 12. 13. tract. meus de *ind. et nat. expectat. et inuest. feud. c. V. §.* 98.

§. 118.

Cum ſucceſſio feudalis fiat *vi inueſtiturae:* ex eo intelligitur principium iuris feudalis, *feudum ſucceſſione aeque ac inueſtitura acquiri (a):* eique ideo non modo ineſſe titulum, ſed et eandem eſſe *modum, feudum acquirendi* (§. 106.).

(*a*) II. F. 1. § 1. *Sciendum eſt, feudum neminem poſſe acquirere niſi inueſtitura aut ſucceſſione.* II. F. 11. pr. *Per ſucceſſionem quoque, ſicut per inueſtituram beneficium ad nos pertinet.* II. F. 33. *Sciendum eſt, feudum acquiri inueſtitura, ſucceſſione, vel eo, quod habetur pro inueſtitura.*

§. 119.

Succeſſio *feudalis* duplex eſt, vel SVCCESSIO IVRIS COMMVNIS, *quae ſecundum ius commune fit vi inueſtiturae primi acquirentis* (*a*), vel SVCCESSIO SPECIALIS, *quae fit vi impetratae ſpecialis inueſtiturae,* veluti vi inueſtiturae ſimultaneae et euentualis: de qua cap. X. dicendum. Prior etiam vocatur ſucceſſio *legitima* et ex *iure ſanguinis* (*a*).

(*a*) Originem habet ex conſtitutione CONRADI *Salici* I. F. 1. § 2 et lib. V. conſt. 1. in SENCKENBERGII *corp. iur. feud.* p. 432. Condominium feudi, in quo nonnulli *fundamentum ſucceſſionis feudalis* ponunt, neque ſecundum ius feudale Longobardicum et Germanicum, neque naturali ratione pro vero principio ſucceſſionis feudalis adoptari poteſt: de quo vid. CRAMERI

MERI *Nebenstunden Part.* 19. *obs.* I. et PÜTTMANNI *obseru. iur. feud. cap.* 24.

§. 120.

Natura *successionis legitimae* in feudo est, I. quod fiat *vi inuestiturae primi acquirentis*, nec II. aliis competat, nisi *in inuestitura primi acquirentis comprehensis* (*a*). In qua cum comprehensi iure communi praesumantur *primi acquirentis descendentes legitimi in infinitum, iique feudorum capaces* (*b*) (§. 37.): penes hos tantum est successio legitima in feudo: nulla vero est successio *primi acquirentis ascendentium vel collateralium;* nisi his prospectum sit per legem inuestiturae (*c*) (§. 104).

(*a*) I. F. 14. §. 1. descendentes per *inuestituram patris et aui* succedere dicuntur.

(*b*) II. F. 31. ibi: *etiam in infinitum, dum tamen hoc constet, ab eo, qui id acquisiuit, per masculos descendisse.* II. F. 11. II. F. 23. §. vlt.

(*c*) I. F. 8. §. vlt. I. F. 20. II. F. 11. §. vlt. II. F. 50.

§. 121.

Ex *primo principio* intelligitur, 1) *ius succedendi* in feudo acquiri a *primo acquirente*, non vero ex beneficio vltimi vasalli, cui succeditur (*a*): ac proinde 2) successionem fieri in ius, quod *primi acquirentis* fuit in feudo, eamque ideo 3) esse *successionem singularem.*

(a) I. F. 14. §. 1. II. F. 31. *Gabr.* SCHWEDER de *fucceffione feudali* §. 1. 2.

§. 122.

Vi *fecundi principii* (§. 120.) ad fucceffionem vocati tantum praefumuntur I. *qui a primo acquirente ex legitimo connubio defcendunt.* Ab ea ergo excluduntur 1) *nati ex difparagio*, hoc eft, ex matrimonio *ingenui* cum perfona *feruilis* vel *libertinae* conditionis, *nicht ebenbürtig* (*a*), 2) nati ex *matrimonio ad morganaticam*, quod iure fpeciali initur eo pacto, vt liberi iurium legitimi connubii non fint participes (*b*): non vero 3) ex matrimonio inter *ingenuos diuerfi ordinis* contracto, veluti ex matrimonio *nobilis* vel *militaris hominis* cum perfona *ciuici ordinis* (*c*); cum nobilitatis et militaris generis dignatio *per patrem* liberis affignetur.

(*a*) *Ius feud. Sax. art.* 20. *Alem. cap.* 41. Diff. mea de *impari matrimonio et iure liberorum ex eo natorum circa fucceffionem feudalem* §. 12. 14.

(*b*) *II. F.* 26. §. 15. *II. F.* 29. *Cafp.* BITSCHIVS in *Comm. ad vfus feud. lib.* 2. *tit.* 26. §. 15. *not.* 3.

(*c*) *Ius feud. Sax. art.* 2. *Vet. auct. de benef. c.* I. §. 4. Diff. mea cit. §. 15. 20. *Henr.* COCCEII de *coniugio inaequali perfonarum illuftr.* §. 5. HORNII *iurispr. feud. c.* 6. §. 10. WERNHER *obf. for. Part. VIII. obf.* 466.

§. 123.

§. 123.

Nec 4) ad eam admittuntur *adoptiui*, nisi haec illis ex speciali gratia Domini eorumque, quorum interest, consensu detur, nec 5) *naturales* et extra matrimonium nati, etiamsi 6) *postea legitimi fiant* per legitimationem ex *rescripto principis* (*b*). Namque perfecte legitimati *per subsequens matrimonium*, cum iuribus legitimorum natalium fruantur, ex *vsuali* iuris Longobardici *interpretatione* successionis capaces sunt (*c*), nisi vbi vel *speciali obseruantia* vel iure *prouinciali particulari* a successione excluduntur (*d*).

(*a*) II. F. 26. §. 8. *Ern. Frid.* KNORRE *de success. adoptiuorum in feuda* §. 15.

(*b*) II. F. 26. §. 11. *Ius feud. Alem. c.* 1. *Ius feud. S. art.* 3. *Vet. auct. de benef. c.* 1. §. 4.

(*c*) Iure feudali nullibi a successione diserte excluduntur. Et cum verba II. F. 26. §. 11. *licet postea fiant legitimi*, indefinita sint, *modumque legitimandi* non definiant: haec *per interpretationem*, vsu fori ex iure communi, Romano et Canonico petitam, restricta sunt ad *legitimatos per rescriptum*, legitimatis *per connubium* ad successionem feudalem admissis. *L.* 10. *C. de Naturalib. liberis c.* 6. *X. qui filii sint legitimi. Hart.* PISTOR *lib.* 2. *qu.* 41. *Sam. de* COCCEII *iur. contr. lib. I. tit.* 6. *qu* 17. B. Parens *Consult. et decis. tom. I. P. II. resp.* 74. *I. Tob.* REINHARTH in *obs. ad Christinaei decis vol. VI. obs.* 9. *Car. Ferd.* HOMMEL in *Rhapsodia quaest. obs* 455. 474. *Ioach. Erdm.* SCHMIDT de *success. in feuda filiis per subsequens matrim legitimatis non deneganda.* Ienae 1775. In Hassia idem obseruari, monitum est in praef. *ad tom. II. Samml. Hess. Landes-Ordnung.* Inde iam

 sec.

sec. XIII. manauit sententia *iur. Prou. Alemannici*, qua legitimati *per rescriptum* a successione feudali arcentur, et legitimati *per subsequens matrimonium* ad eam admittuntur. vid. *Codex iur. Alem. Prou. et feud.* ex edit. BERGERI *p.* 71. *et c.* 373. *p.* 247. et Dn. de SENCKENBERG *corp. iur. Germ. tom. II. p.* 457.

(*d*) Vt in terris *Guelferbytanis* et *Calenbergicis* per constitut. HENRICI IVLII de *a.* 1593. et *Recess. Gandersheimensem de a.* 1601. §. 31. in tom. IV. *Corp. Const. Calenb.* p. 32. 49. quod vsu fori productum est ad terras Luneburgicas. *Ef. Frid.* PVFENDORFIVS *obs. iur. tom. I. obs.* 91. STRVBEN tom. III. *Rechtl. Bedenken* N. 53.

§. 124.

Cum II. non nisi *feudorum capaces* ad successionem vocati *praesumantur*: ius succedendi in feudo, ratione *sexus*, iure communi 1) defertur solis *masculis* et *per masculos* a primo acquirente descendentibus (*a*), non vero 2) *feminis* et *per feminas* ab illo descendentibus (*b*); nisi illis vel *per legem inuestiturae*, id quod in feudo, a femina acquisito, *tacite* factum intelligitur, vel ex *obseruantia speciali curiae feudalis* prospectum esse appareat. Feuda ergo *iure communi* praesumuntur *masculina* (§. 92.): *feminina* vero praesumi nequeunt sed *probanda* sunt, siue *data* sint, siue *oblata*, siue sint *secularia*, siue *ecclesiastica* (*c*).

(*a*) I. F. 1. §. 2. II. F. 31.

(*b*) I. F. 1. §. 2. I. F. 8. II. F. 11. pr. *Proles feminini sexus vel ex feminino sexu descendens ad huiusmodi successionem adspirare non potest, nisi eius conditionis*

tionis sit feudum, *vel eo pacto acquisitum. I. F. S. art.* 2. *I. F. A. c.* 1. *§.* 4. *Vet. auct. de benef. c.* 1. *§.* 4.

(*c*) II. F. 2. in f. *Gottfr. Lud.* MENCKEN *de praesumtione feudi masculini §.* 10. 12. in IENICHENII *Thes. iur. feud. tom. II. p.* 1013. BOCRISII *obs.* 47. 48. *in* ZEPERNICK *analect. I. F. tom. I. p.* 256.

§. 125.

Si ius in feudo succedendi *feminis* tantum *in subsidium*, hoc est, non prius datur, *quam deficientibus masculis*, *in prima inuestitura comprehensis*, *feudum femininum* SVCCESSIVVM est; sin iis datur *ius succedendi cum masculis aequale*, feudum est femininum PROMISCVVM, seu *commune*, *gemein*, *durchgehend Lehen.*

§. 126.

Ius succedendi *subsidiarium* feminarum, tamquam *naturae* successionis feudalis conueniens, iure feudali tamdiu *praesumitur* (§. 37.), donec ius promiscuum illis datum esse appareat (*a*). Hinc 1) in feudo *a femina acquisito* (*b*), et 2) in feudo, pro *masculis et feminis* indefinite dato, *Söhn- und Töchter-Lehn*, feminis ius succedendi *subsidiarium* datum esse praesumitur (*c*). 3) Feudo tandem ad feminam deuoluto, successio feminea inter illius descendentes *subsidiaria* permanet, et quousque inter eius descendentes su-

pereſt *maſculus*, feminis non patet locus in ſucceſſione (*d*).

(*a*) II. F. 17. pr. *Non enim patet locus feminae in feudi ſucceſſione, donec maſculus ſupereſt ex eo, qui primus de hoc feudo fuerit inueſtitus.*

(*b*) *II. F.* 30.

(*c*) I. F. 6. §. 1. I. F 8. §. 2. *Filia non ſuccedit in feudo, niſi inueſtitura fuerit facta in patre, vt filii et filiae ſuccedant in feudum, tunc enim ſuccedit filia, filiis non exſtantibus. Gabr.* SCHWEDER de *feminarum cum maſculis concurrentium excluſione in feudo Tob. Iac.* REINHARTH *obſ ad Chriſtinaei deciſ. vol. I. obſ.* 60 p 160. WERNHER *obſ for Part. VII. obſ.* 230. STRYCK de *feudo maſculis et feminis conceſſo. cap. II. Ad. Theoph* KIND. *de feudis femininis Lipſ.* 1775.

(*d*) cit. *II. F.* 17. *pr.*

§. 127.

Ex natura feudi feminini *ſucceſſiui* intelligitur, feminis ius ſuccedendi demum deferri ſub euentu, *ſi maſculi nulli a primo acquirente ſuperſint:* cuius rei conſequens eſt, 1) euentu nondum exiſtente, id ne *natum* quidem eſſe, multoque minus pro exſtincto haberi poſſe: ac proinde erroneam eſſe ſententiam, *feminam, concurſu maſculorum ſemel excluſam, ſemper eſſe excluſam* (*a*): 2) euentu vero exiſtente, ſuccedendi ius eſſe penes feminam, *vaſallo vltimo*, cui ſucceditur, *proximiorem;* eique *praecipuum* ius eſſe prae feminis earumue deſcendentibus, olim per exiſtentiam maſculi excluſis, quibus *olim* ne *natum* quidem

dem eſt, *nunc* vero *acquiri* non poteſt, quod ſint *remotiores* (*b*).

(*a*) II. F. 17. pr. Nec obſtat I. F. 6. §. 1. *Gottfr.* BARTH de *ſucceſſione feminarum in feudis ſ.* 23. *Petr.* HEIGIVS *quaeſt iur. lib. I. qu.* 26. *G. M. de* LVDOLF *obſ. for. P. I. obſ.* 109. *de* CRAMER *Wetzlar. Nebenſtunden P. XVI. obſ.* 2. 3.

(*b*) *Henr. Chriſt. de* SENCKENBERG de *ſucceſſione filiarum in regn. et princip. cap. VI.* et de *iure ſuccedendi proximioris feminae illuſtr. prae remot.*

§. 128.

Ratione *ſtatus* porro, tamquam feudorum non capaces, a ſucceſſione feudali excluduntur tam monachi, quam *clerici* (§. 94.) (*a*); niſi hi vel *ſtatui clericali* rite *renuncient*, vel eis ex ſpeciali *prouinciae* vel *curiae feudalis obſeruantia* obuenerit ius ſuccedendi (*b*); quo generatim potiuntur *clerici Euangelici*, et paſſim *Catholici* ex ſpeciali curiae feudalis obſeruantia. Tandem inſigni animi et corporis defectu laborantes (§. 93.), *inuito domino*, cuius ſolius intereſt (*c*), ad delatam in feudo ſucceſſionem non admittuntur: iisdem tamen in compenſationem impeditae ſucceſſionis lautior *alimentaria prouiſio* pro dignitate perſonae et feudi reditibus praeſtanda eſt (*d*).

(*a*) II. F. 21. II. F. 26. §. 5. II. F. 36. Conſentit ius antiquum Germanicum. *Ius feud. Sax. art.* 2. *I. F. A. c.* 1. §. 4. *Vet. auct. de benef. c.* 1. *ſ.* 4. *Chriſt. Goth.* HOFMANN de *clericorum in feuda inprimis S. R. I. maiora ſucceſſ. c.* 1. *ſ.* 3. *Io. Vlr. de*

CRA-

CRAMER *opuſc. tom. II. N.* 36. *p.* 708. Argumenta expoſui in reſponſo, quod extat inter B. *Parentis Conſult. et Deciſ. tom. III. Part I reſp* 142. *p* 601. et in diſſ. de *iurib. ex ſtatu milit. Germ. deſcendent. cap. II.* §. 9. 12. 13. 14.

(*b*) *Ge. Melch. de* LVDOLF *obſ. for. ſuppl. obſ.* 366.

(*c*) HOMMEL *obſ.* 482.

(*d*) II. F. 36. I. F. 6. CARPZOV *P. III Conſt.* 28. *def.* 6. *n.* 7. 8. 9. STRYK *de iure ſenſuum* diſſ. 2. et 4. *Henr.* BERGER in diſſ. *vtrum et quousque muti et ſurdi feudorum ſint capaces?*

§. 129.

Itaque *ſucceſſio feudalis* longe diuerſa eſt a *ſucceſſione hereditaria legitima* tam ratione modi ſuccedendi, quam ratione *perſonarum* (§. 120. 121.); ſiquidem haec *beneficio defuncti*, et *titulo vniuerſali* defertur, et *heredibus* legitimis obuenit, nulla habita capacitatis ad feudum ratione.

§. 130.

Vti naturae feudorum, ita etiam *ſucceſſioni feudali* tam per *legem inueſtiturae* quam per aliam *diſpoſitionem ſpecialem legitimam* aliquid addi et detrahi (*a*) (§. 104.), eaque inter eos, qui *a primo acquirente* originem ducunt, immutari poteſt in *ſucceſſionem hereditariam legitimam*. Oritur inde diſtinctio in FEVDVM EX PACTO ET PROVIDENTIA MAIORVM, *in quo tantum obtinet ſucceſſio feudalis*, et in FEVDVM HEREDITA-

RIVM,

RIVM, *in quo constituta est successio hereditaria legitima inter hos, qui a primo acquirente descendunt* (*b*).

(*a*) I. F. 8. §. 2. I. F. 14. §. 2. II. F. 50.

(*b*) *Fundamentum* huius distinctionis repetendum est a *qualitate successionis*, non vero a *facultate alienandi*. Si ratio distinctionis feudorum repetitur a facultate *feudum alienandi*: feudum est vel *alienabile* vel *non alienabile*. *Frid. a* SANDE *in comm. ad consuet. Gelriae tract. I. tit.* 3. *c.* 2. *§.* 3. 4. *p.* 65. II. F. 48. pr. *Herm.* VVLTEIVS de *feud. lib. I. c.* 8. *n.* 25. *Mart.* LAMBERTI diss. de *spuriis et genuinis feudi hereditarii notis* apud IENICHEN l. c. tom. II. p. 609. *Conr. Wilh.* STRECKER *de differentiis feudorum hereditar. et ex pacto et prouidentia talium*, ibid. *p.* 717. *Car. a* KIRCHBERG de *feudo ex pacto et prouid. et feudo hereditario. Gottfr. Lud.* MENCKEN *de logomachiis et dissensionibus circa diuisionem feud. in hered. et ex pacto et prouid. apud* IENICHEN *p.* 711.

§. 131.

Feudum HEREDITARIVM vel MERVM est vel MIXTVM, prout *successio hereditaria legitima* in eo vel *simpliciter*, hoc est, *tum ratione modi succedendi*, *tum ratione personarum*, vel *secundum quid* adoptata est (*a*). Obseruandum vero est, 1) vtrumque non *vnius formae* esse, sed inprimis ex *literis inuestiturae* et ex *obseruantia curiae* aestimandum esse, in quantum recessum sit a successione feudali (*b*); 2) feuda *praesumi* ex pacto et prouidentia maiorum, ideoque probandum esse, *in quantum* facta sint *hereditaria*.

(*a*)

(a) *Henr.* COCCEII de *feudo hereditario mixto.*

(a) II. F. 26. §. 23. Sola formula *zu rechten Erb-Lehen* non inuoluit feudum abſolute hereditarium, ad feminas etiam tranſitorium *Io. Vlr. de* CRAMER *von Verleihung der Güter zu rechten Erblehn tom. IV. opuſc. XVI. p.* 701. Tale tamen denotatur per formulam *vor ſich und ſeine Erben und Erbnehmen* ibid. *tom. IV. p.* 155. Conf. HORNII *iurispr. feud. cap. IV. ſ.* 34. et in *app. I. N. V. p.* 16. *Henr. Chriſt. de* SENCKENBERG *von denen Erb- und Erb-Mann-Lehen* apud IENICHEN l. c. *tom. II. p.* 636. *Sim. Petr.* GASSER de *feudo ſub formula Erb-Gut* ibid. *p.* 696. *Ge. Ad.* STRVVII *obſeruat. feud. de feudo hereditario.*

§. 132.

Intuitu iuris ſuccedendi in feudum competentis, feudum in genere diſtinguitur in ANTIQVVM, *quod competit vi iuris ſuccedendi, ex anteriori inueſtitura acquiſiti* (a), et in NOVVM, *quod non competit vi iuris ſuccedendi, ſed vi acquiſitionis per propriam inueſtituram.* Habetur ergo feudum pro *antiquo*, tum quod ex inueſtitura maiorum vel etiam ex inueſtitura ſimultanea actu acquiritur, tum quod vi anterioris inueſtiturae quidem, ſed ante *ſucceſſionem delatam* alio ſpeciali titulo acquiritur (b). E contra feudum *nouum* eſt, quod ex pretio feudi antiqui, vel ex permutatione cum feudo antiquo acquiſitum eſt. Inter *vtrumque* hoc intereſt, quod in feudo *antiquo* ſucceſſio detur *defuncti vaſalli agnatis*, a primo acquirente oriundis: haec vero in feudo *nouo* non competat *ac-*

quiren-

quirentis agnatis (§. 120.) (*c*) niſi his proſpectum ſit per legem inueſtiturae. Fieri hoc ſolet per formulam inueſtiturae, *nach Art und Eigenſchaft eines alten rechten Stammlehns* (*d*); qua feudo *nouo* dantur *iura feudi antiqui*, idque inde vocatur *feudum nouum iure antiqui conceſſum.*

(*a*) I. F. 14. §. 2. I. F. 20. II. F. 11. §. 2. II. F. 14. II. F. 50. Antiquum in cit. textibus vocatur *paternum*: ſed ab eo non diſtinguitur II. F. 11. *Frid. Wilh.* BAVERI diſſ. de *feudo nouo atque veteri* §. 5.

(*b*) *II. F.* 14. *et* 49. *G. M.* LVDOLF *obſ. iur. P. II. obſ.* 200. *P. III. obſ.* 293.

(*c*) Probatio *feudi antiqui* incumbit agnatis iuxta ea, quae exponuntur §. 141. *In dubio* pro *feudo antiquo* eſt *praeſumtio* ad effectum defendendi agnatos in *poſſeſſione feudi* pendente lite cum Domino *II. F.* 26. *pr.*

(*d*) I. F. 14. §. 2. II. F. 12. ROSENTHAL de *feud. cap. II.* concl. 13. SCHRADER de *feud. P. VII. c.* 6. *n.* 5. GAIL *lib. II. obſ.* 50. *Ge. Theoph.* BOERNER de *feudis antiquis iure nouorum et nouis iure antiquorum praeditis.* De LOEWENSTERN de *ſucceſſione in feudo nouo iure antiqui conceſſo*, in ZEPERNICK *analect. I. F. tom. I. p.* 427.

CAP.

Cap. VIII.

De ordine ſuccedendi feudali legitimo inter deſcendentes et collaterales.

ARGVMENTVM.

§. 133. *Ordo ſuccedendi vel legitimus vel ſpecialis,*
134. *ab vltimo vaſallo computandus.*
135. 1) *Succeſſio filiorum.*
136. *An tranſeat ad filias?*
137. *Filiorum ius aequale, et ius feudum diuidendi.*
138. 139. *Vis diuiſionis feudi ſecundum ius Longob. et Germ.*
140. *Cum ſucceſſione filiorum coniuncta eſt ſucceſſio in allodio.*
§. 141. 2) *Succeſſio collateralium,*
142. a) *fratrum et fratris defuncti liberorum:*
143. b) *Agnatorum vlteriorum, non cognatorum.*
144. *Praerogatiua agnatorum in prima linea.*
145. *Eorum ſucceſſio eſt mere feudalis.*
146. 3) *Aſcendentium nulla ſucceſſio.*

§. 133.

A iure ſuccedendi in feudo longe differt ORDO SVCCEDENDI FEVDALIS, quo intelligitur *ordo determinatus, ſecundum quem ſucceſſio in feudo deuoluitur in ſucceſſores feudales.* Quamquam IVS SVCCEDENDI *omnium heredum feudalium* fundatum ſit *in inueſtitura:* id tamen nec prius, quam *morte vaſalli poſſeſſoris*, nec aliter defertur, quam ſecundum *ordinem ſuccedendi feudalem.* Eſt is vel *ordo ſuccedendi* LEGITIMVS, qui *iure feudali*, vel

SPE-

SPECIALIS, qui *fpeciali difpofitione eorum, quorum intereft*, definitur. De *illo* hoc loco, de *hoc* cap. fequenti agendum.

§. 134.

In *Ordine fuccedendi* inter eos, qui per *inueftituram primi acquirentis* ad fucceffionem vocantur, definiendo ius feudale fequitur *analogiam iuris Romani* (*a*), nifi vbi diuerfa ratio interuenit. Hinc ordo fuccedendi legitimus determinatur *per proximitatem ab vltimo defuncto vafallo*, *cui fucceditur*: etiamfi ab eo *ius fuccedendi* non defcendat (*b*).

(*a*) II. F. 37. *Ad agnatum proximiorem feudum pertinebit*, *fi paternum fuerit*: *eodem prorfus obferuando*, *quantum ad* ORDINEM GRADVS, *qui continetur in* LEGIBVS. Conf. II. F. 1.

(*b*) *Io.* SCHILTERVS de *natura fucceffionis feudalis cap. I.* §. 9. *cap. III.* §. 8. *Huld. ab* EYBEN *electa iur. feud. cap. VII.* §. 8. 10. 12. *Ge. Melch. de* LVDOLF de *introd. iur. primogenit. Part. fpec. aph.* 6. *n.* 5. *pag.* 44. *Phil.* KNIPSCHILD de *fideicommiffis famil. cap. IX. n.* 83. de CRAMER *tom. II. obf.* 566.

§. 135.

Inter hos, qui a primo acquirente defcendunt, primi in fucceffione funt LIBERI *mafculi et legitimi (a)* vafalli defuncti, etiam *pofthumi*, iufto tempore nati (*b*). Succedunt itaque 1) *filii* eius, iique omnes *aequaliter*, ob ius fuccedendi omni-

Bayerische
Staatsbibliothek
München

um aequale: et vna cum illis et pari cum illis iure *nepotes ex filio defuncto*, *iure* videlicet *succedendi* in ea parte feudi, quae patris futura fuiſſet, *in eosdem deuoluto*, ideoque in ſtirpes (*c*); 2) filiis vero omnibus praemortuis, *nepotes ex illis*, *pronepotesque*, et quidem *in ſtirpes*, ſi ſunt ex diverſis filiis (*d*).

(*a*) II. F. 11. *Mortuo eo, qui beneficium tenebat, prima cauſa liberorum eſt.*

(*b*) *Ius feud. Alem. cap.* 39. *Sax. art.* 20. SCHILTER *ad ius feud. Alem. c.* 137. *p.* 444. *Io. Frid.* IOACHIM *vermiſchte Anmerkungen des Staats- und Lehen-Rechts* N. *XV.* §. 7. 8.

(*c*) I. F. 1. §. 1. I. F. 8. *Si quis deceſſerit filiis vel filiabus ſuperſtitibus, ſuccedunt tantum filii aequaliter, vel nepotes ex filio, loco ſui patris. Transmiſſionem iuris* ſuccedendi vocamus, ex natura iuris, ex ipſa legis diſpoſitione acquiſiti, in ſucceſſores transeuntis.

(*d*) I F. 19. §. 1. *Si quis miles mortuus fuerit ſine filio maſculo, et nepotem reliquerit: in beneficium aui in patris vicem ſuccedit.*

§. 136.

Filiarum, vel ex *filia* nepotum nulla eſt in feudo ſucceſſio ſecundum ius feudale commune (*a*). In *feudo feminino*, quod *ſucceſſiuum* eſſe praeſumitur (§. 126.) ad hanc admittuntur tantum *in ſubſidium*, maſculis vel omnibus *ex primo acquirente*, vel ſaltem, vbi id *pacto* vel *obſeruantia* definitum eſt, *ex eadem linea* deficientibus (*b*).

(*a*) I.

(*a*) I. F. 1. §. 2. II. F. 11. *Ad filias seu neptes, vel proneptes, vel ex filia nepotes seu pronepotes successio feudi non pertinet.*

(*c*) II. F. 17. I. F. 8. §. 2. I. F. 24. *Gottfr.* BARTH de *successione feminar. in feud.* §. 4. de CRAMER *de success. agnat. etsi remotiorum prae feminis c.* 1. §. 5. *tom. I. Op.* p. 398. Specialis est ratio successionis in *feudis Fuldensibus*, et in feudis sub formula *nach Art des Fuldischen Lehen* concessis, quod *filiis* deficientibus, *filiae* praecipuo succedendi iure gaudeant *prae agnatis. Io. Frid.* SCHANNAT in *Clientela Fuld. cap. III.* §. 4. et *Io. Ge.* ESTOR in *analectis Fuldensib. obs. XIII. p.* 57. *I. Vlr. de* CRAMER *obs. iur. vniu. tom. II. obs.* 564. *p.* 361. *De successione filiarum nobilium in feudis Pomeraniae* egit *Christian.* NETTELBLADT. De feudis *Heruordiensibus* vid. de LVDOLF *obs. for.* P. I. obs. 101. de feud. *Coloniensibus* THVMMERMVT l. c. fund. 4. n. 16. p. 145. de *Clivensibus Gerh.* FELDMANN in *Oper. iurid. p.* 100.

§. 137.

Cum ius in feudo succedendi plurium filiorum prorsus aequale sit: 1) *primogenito* ius praecipuum succedendi prae postgenitis *iure communi* non competit; 2) in eorumque arbitrio est, feudumne *communiter* habere, an vero illud vel *naturaliter*, vel, quod consultius est, *ciuiliter* diuidere velint, dum id assignant vni, reliquis ex eius pretio satisfacturo (*a*): in qua diuisione nec *seniori* nec *iuniori* ius praecipuum competit, nisi vi *iuris specialis* (*b*).

(*a*) II. F. 26. §. 7. II. F. 50. *Io. Tob.* REINHARTH in *obs. ad Christinaeum vol. VI obs.* 3. *Maiora* tamen *feuda* diuisioni non sunt obnoxia. II. F. 55. §. 1.

(*b*) *Ge.* BEYER in diff. de *prouerbio: maior diuidit, minor eligit cap. III. §. 4.* *Chrift. Gottl.* BVDER in *amoenitat. iur. feud. obſ.* 22. p. 145.

§. 138.

In *diuiſione feudi*, tam naturali quam ciuili, tantum agitur de *iure praeſenti*, in caſu ſucceſſionis pluribus ſimul delato, inter plures feudi conſortes definiendo. Hinc I., ei, cui feudum vel *totum* vel *pro parte* ex ceterorum conſenſu aſſignatur, ius *praecipuum* vel in toto feudo vel in eius parte aſſignata tum vi *diuiſionis* tum vi *ſubſequentis inueſtiturae* acquiritur, in *deſcendentes* eius omnes, feudorum capaces, hoc eſt, *in lineam eius* tranſiturum: II. reliquis vero feudi conſortibus ſaluum eſt *ius ſuccedendi*, ex prouidentia maiorum acquiſitum; quippe quod tantum in fauorem vaſalli poſſeſſoris tamdiu quieſcit, quoad vsque *ex eius linea* feudorum capax ſuperſtes eſt (*a*). Feudum ergo etiam poſt diuiſionem aſſignationemue vni factam manet *antiquum* (§. 132.) (*b*).

(*a*) I. F. 1. §. 1. I. F. 14. §. 1: *Si vnus ex his filiis vel nepotibus ſine deſcendentibus maſculini ſexus heredibus mortuus fuerit, praedicti fratres vel nepotes* PER INVESTITVRAM PATRIS ET AVI *in beneficium ſuccedunt.* I. F. 8. §. 1. I. F. 12. II. F. 50. 52. §. 2.

(*b*) II. F. 50.

§. 139.

Iure *Germanico antiquo* duplex obtinuit diuiſio feudi, *altera totalis*, qua per partitionem feudi

di eiusque aſſignationem vni factam, *reliquorum ius* in eo ſuccedendi *amittitur*, niſi id ſibi impetrata ſpeciali inueſtitura reſeruauerint (*a*): altera *reſtricta diuiſio*, qua feudum eiusue pars, quoad *poſſeſſionem* et *ius vtendi fruendi*, ad vnum peruenit, ſaluo *condominio clientelari* omnibus feudi conſortibus ſeruato (*b*).

(*a*) *Ius feud. Sax. art.* 32. *Alem. cap.* 65. *§.* 1. 2. *Vet. Auct. de Benef. cap. I. §.* 84. *Io. Ge.* ESTOR de *terrarum partitionibus illuſtrium Germanorum inter ſe, praeſertim ea, quae vocatur Todtheilung, earumque effectis quoad ſucceſſionem.*

(*b*) *Kayſer-Recht lib.* 3. *art.* 12. *Obſeruat. iur. feud. obſ. VIII. de feudi communis diuiſione. §.* 7. 8.

§. 140.

Succeſſio deſcendentium ex diſpoſitione *iuris feudalis Longobardici* coniuncta eſt cum obligatione *adeundi hereditatem allodialem* vaſalli defuncti parentis, *cui ſucceditur*, adeo vt filius vel nepos, *ſalua ſucceſſione in feudo*, abſtinere nequeat ab *hereditate allodiali* eiusdem *patris*, cui ſuccedit: niſi vtroque, feudo et allodio, repudiato, nouam feudi inueſtituram a domino impetrauerit agnatorum conſenſu (*a*). Eſt haec diſpoſitio *iuris* prorſus *poſitiui*, ex ſola aequitate et honoris nomini paterno ſeruandi cauſa conſtituta, vt liberi *per indirectum* adigerentur ad *debita patris* praeſtanda, quoad ex *allodio paterno* et ex bonis heredis *pro-*

 priis,

priis, quorum numero *fructus* feudi habentur, praestari possunt, saluo semper iure filiis *in feudo* eiusque *substantia* ex prouidentia maiorum competente (*b*). Hoc iure hodienum vtimur (*c*). Licet enim iure *Germanico antiquo* filio data esse videatur facultas *allodium repudiandi*, saluo feudo (*d*): id tamen hodie non obtinet, nisi vbi id *speciali obseruantia* seruatum esse probari potest (§. 30.) (*e*).

(*a*) II. F. 45. *Vbi vasallus filium reliquit, ipse non potest hereditatem sine beneficio repudiare: sed aut vtrumque retineat, aut vtrumque repudiet: quo repudiato ad agnatos, si paternum sit, pertinebit. Et licet alterum sine altero repudiare non possit, agnatis tamen consentientibus poterit dominus eum, si voluerit, quasi de nouo beneficio inuestire: quo facto licebit ei, repudiata hereditate feudum tenere, nullo onere hereditario imminente.* II. F. 51. §. 4. Vis infertur huic decreto feudali, si de *feudo hereditario* tantum intelligatur. *Hartm.* PISTOR *quaest. iur. lib. 2. qu.* 7.

(*b*) Dan. NETTELBLADT *de successore ex pacto et prouidentia maiorum, ad facta vltimi defuncti, licet eius heres sit, praestanda non obligato c.* 3. *S.* 2. §. 5.

(*c*) *Const. Sax. Electoral.* P. II. Const. 47. *Sigism.* FINCKELTHAVS *controu. feud. disp. VI.* §. 22. HORNII *I. F. c.* 16. §. 26. *Ef.* PVFENDORFII *introd. in Proc. Brunsu. P. III. c.* 22. §. 29. LEYSER de *feud. Brunsu. in app.* §. 39. *G. Melch. de* LVDOLF *de introd. iur. primog. part. spec.* §. 6. *p.* 44. *I. Vlr. de* CRAMER *obs. iur. vniu. tom. I. obs.* 251. 280. 422. *Io. Frid.* KOBII *comment. de pecunia mutuatitia tuto collocanda c.* 17. §. 70. *p.* 131. 146.

(*d*) *Ius feud. Sax. c.* 55. *Ius Prou. Sax. lib.* 2. *c.* 21. *I. Feud. Al. c.* 83. 89. 98. §. 7. *Io. Tob.* REINHARTH *obs. ad Christinaei decis. vol. I. obs.* 52.

(*e*) *de* CRAMER *loc. cit. obs.* 422. *p.* 929.

§. 141.

§. 141.

Filiis deficientibus, ſucceſſio feudalis tranſit ad COLLATERALES *defuncti*, quoad per *maſculos* originem ducunt *a primo acquirente* (*a*). *Collateralium primi acquirentis* nulla eſt ſucceſſio, niſi vi *ſpecialis pacti* inueſtiturae (*b*). Succeſſurus ergo probare debet, ſe a *primo acquirente* per *maſculos* deſcendere (*c*): nec eam in rem *iure communi* ſufficit ſola probatio *eiusdem nominis, clypei* et *inſignium* (*d*).

(*a*) *II. F.* 11. *II. F.* 31.

(*b*) *I.* F. 14. §. 2. *II. F.* 18.

(*c*) II. F. 31. *dum tamen hoc conſtet, ab eo per maſculos deſcendiſſe.* STRYK de *ſucceſſ. ab inteſt. diſſ.* 3. *c.* 2. §. 23. Wolfg. Ad. *Schöpff* de probatione deſcendentiae a primo acquirente.

(*d*) Vi ſpecialis obſeruantiae, quae in nonnullis familiis in *Franconia* viget, vel vi *ſpecialis conſtitutionis*, qualis in *terris Megapolitanis* obtinet, ſufficit *probatio identitatis nominis et inſignium. Henr. Frid.* TADDEL de *probatione agnationis per ſolam identitatem nominis et inſignium ſecundum iura Mecklenburgica. Car. Henr.* MÖLLERVS in *vſu diſtinct. feud. p.* 353. Qualitatem feudorum gentilitiorum ex moribus Germanorum adſtruere contendit *Car. Frid.* SCHOEPFF *de feudis Germaniae gentilitiis quibuscunque* apud IENICHEN tom. II. p. 498. Sed vida, quae ea de re recte diſputata ſunt a *Ge. Melch. de* LVDOLF *Symph. Camer. tom. I. relat.* 8. et *obſ. for. P. I. obſ.* 84. et *Ioſ. Mar.* SCHNEIDT de *non ente conſuetudinis curiae feud. Wurtzeburg. circa ſucceſſionem gentilitiam feudalem auf gleichen Namen*, *Schild, Stamm*, *und Helm.* Wurtzb. 1785.

§. 142.

Inter collaterales, *proximi* in successione feudali legitima sunt *defuncti* FRATRES vna cum *fratrum praemortuorum liberis*, quoad *a primo acquirente* sanguinem ducunt (*a*). Hinc I) in feudo *antiquo*, per *patrem* fratri defuncto delato, fratrum eius *germanorum* et *consanguineorum aequale* est ius succedendi, cum quibus fratrum germanorum et consanguineorum praedefunctorum *filii* iure repraesentationis in *stirpes* simul succedunt (*b*), *patruum* quoque excludentes (*c*); fratrum *vterinorum* vero nullum est ius succedendi in feudo. II) In feudo *feminino*, per matrem ad fratrem defunctum delato, aequale est fratrum *germanorum* et *vterinorum* ius, consanguineis exclusis (*d*). III) In feudo *mere* hereditario *ius succedendi* est fratrum sororumue *a primo acquirente* descendentium, inter eosdem vero seruatur *modus succedendi allodialis* (*e*).

(*a*) II. F. 11. *Filiis vero deficientibus, vocantur primo fratres cum fratrum praemortuorum filiis, deinde agnati vlteriores.*

(*b*) *Rec. Imp. Wormat. de a.* 1521. *§.* 19. *Henr.* BOECLERVS de *iure repraesentationis in success. feud. c.* 3. *§.* 13. Diss. mea de *successione feudali fratrum fratrisque filiorum c.* 1. *§.* 8. 15.

(*c*) Nov. 118. c. 3. arg. II. F. 1. HORNII *iurisprud. feud. cap. XVI. §.* 9.

(*d*) STRVVII *Synt. iur. feud. c.* 9. §. 6. HORN *l. c. §.* 5.

(*e*) vid. cit. *diss. mea c.* 1. *§.* 9.

§. 143.

§. 143.

Poſt fratres, fratrumque filios ad ſucceſſionem vocantur AGNATI VLTERIORES (*a*), quoad a Primo acquirente ſanguinem ducunt; non vero *cognati* (*b*), niſi ex ratione ſpeciali, qualis 1) interuenit in feudo *mere hereditario* (*c*), et 2) in feudo *feminino*, in quo tamen cognati, a primo acquirente deſcendentes, ex regula aliter non ſuccedunt quam in ſubſidium (§. 126.).

(*a*) *I. F.* 19. *ſ.* 1. *II. F.* 11. *II. F.* 31. *II. F.* 39. pr.

(*b*) II. F. 11. §. 1. in f. *Ad cognatos eius beneficium non pertinet, neque beneficii ſucceſſio.*

(*c*) GAIL *lib.* 2. *obſ.* 154. *n.* 11. STRYK de *ſucc. ab int. Diſſ.* 3. *c.* 2. §. 9.

§. 144.

Obtinet inter agnatos vlteriores ORDO SVCCEDENDI LINEARIS IVRIS COMMVNIS, iure Longobardico ita definitus (*a*), vt *quousque ex linea eius, ad quem feudum ex diuiſione peruenit, ſuperſtes eſt feudorum capax, lineae, et in ea proximitatis, linea iſta vero extincta, inter agnatos reliquos ſolius proximitatis ratio habeatur, nulla obſeruata linearum, quae ab eodem communi ſtipite ducuntur, praerogatiua.* Ratio huius ſucceſſionis poſita eſt in *iure ſuccedendi praecipuo*, vi *diuiſionis vni* ex pluribus feudi ſucceſſoribus eiusque *lineae* ex ceterorum conſenſu acquiſito (§.

 138.):

138): quae ratio ceſſat in ceterorum lineis. Quovsque itaque I. ex *linea* eius, ad quem feudum *ex diuiſione* peruenit, ſuperſtes eſt feudorum capax, huic eſt praecipuum ius ſuccedendi prae alio agnato, *gradu* licet *proximiori*, in *reliquis lineis*: inter *agnatos eiusdem lineae* vero ſolius *proximitatis graduum* ratio habetur. Quodſi II. in eadem *prima* linea, *vi nouae diuiſionis*, nouas *lineas ſubordinatas* oriri contingat, inter has eadem ſeruatur *lineae*, in quam ſucceſſio delata eſt, *praerogatiua*. Tandem III. *extincta prima linea*, in quam tranſiit ſucceſſio, ceterae lineae, virtute *iuris ſuccedendi*, quod ex inueſtitura primi acquirentis competit, aequo iure ad ſucceſſionem vocantur, *ordo ſuccedendi* ~~vero in~~ iisdem per *proximitatem gradus* definitur, ideoque agnatus, vaſallo vltimo *proximior*, in ſucceſſione potior eſt (*b*).

(*a*) II. F. 50. *Dummodo ſcias, quod ſi quis habens beneficium, quatuor ſuperſtitibus liberis decedat, et feudum* 1) *ad vnum ſolum* EX DIVISIONE *deueniat: et iſte ſuperſtitibus filiis duobus vel tribus decedat, qui patrueles dicuntur, et* 2) *ad* VNVM *eorum beneficium feudi* EX DIVISIONE *perueniat: et ſimiliter* 3) *iſte ſuperſtitibus filiis decedat, qui patrueles dicuntur, ad quorum* VNVM *feudum ſimiliter peruenit: ſicut etiam ex aliis ſuperioribus vel primis fratribus ſuperſunt maſculi: ſi ille, qui feudum habet, deceſſerit nullo filio relicto, an ad omnes, vel ad quos perueniat, quaeritur? Reſpondeo, ad* SOLOS ET AD OMNES, QVI EX ILLA LINEA SVNT, *ex qua iſte fuit. Et hoc eſt, quod dicitur, ad proximiores pertinere. Iſti vero proximiores eſſe dicuntur reſpectu aliarum linearum. Sed omnibus*

bus ex hac linea deficientibus, OMNES ALIAE LINEAE *aequaliter vocantur.*

(*b*) II. F. 37. *Hartm.* PISTOR *quaest. iur. lib.* 3. *qu.* 23. *n.* 1. 3. *f.* STRVVIVS *in S. I. F. cap.* 9. *aph.* 7. *Sam.* STRYK de *succeſſ. ab int. diff.* 3. *c.* 2. §. 11. *Ef. Frid.* PVFENDORFIVS de *obſ. iur. vniu. tom. III. obſ.* 136. *Deductio* ſub tit. *Rechtliche Abhandlung von dem Vorzug der näher geſippten Stamms - Vettern für den weiter entfernten bey der Erbfolge in deutſche Reichs - Länder*, *Marb.* 1752. in CRAMERI *tom. V. Supplem. Opuſc. p.* 278. *Ern. Chriſt.* WESTPHAL *Lehnrecht obſ.* 10.

§. 145.

Cum ius ſuccedendi in feudo antiquo *agnatis* et *collateralibus* ex prouiſione *primi acquirentis*, non vero ex beneficio vltimi vaſalli, deferatur: eorum ſucceſſio ſeruat naturam *ſucceſſionis feudalis* (§. 121.); cuius conſequens eſt, vt ſi iisdem ſimul deferatur hereditas *allodialis vltimi vaſalli*, hac *repudiata*, in *feudo antiquo* ſuccedere posſint (*a*).

(*a*) II. F. 45. *Agnatus repudiata hereditate, feudum, ſi paternum fuerit, retinere poteſt.* *Gabr.* SCHWEDER de *iure agnatorum in feudo* §. 31.

§. 146.

Ex natura ſucceſſionis feudalis intelligitur (§. 120.), ASCENDENTIVM in feudo nullam eſſe ſucceſſionem (*a*). Datur iisdem non niſi ex *ſpeciali ratione*, quae ideo *extraordinaria* eſt; veluti 1) per *legem inueſtiturae*, qua illis nominatim

tim profpectum eft (*b*); 2) ex natura *feudi noui*, iure *feudi antiqui* conceffi (§. 132.); 3) ex natura feudi *mere hereditarii* (§. 131.); 4) in cafu, fi filius in *cuius fauorem* pater feudum *refutauit*, fine prole decedat (*c*). In his cafibus, praeterquam fi feudum fit *mere hereditarium*, *fratres* vltimi vafalli cum *afcendentibus* non concurrunt, fed inter illos ordo fuccedendi determinatur per *gradus praerogatiuam* (*d*).

(*a*) II. F. 50. *Ge.* BEYERVS in diff. *Afcendentium in feudo nullam effe fucceffionem.* *Car. Frid.* WALCH de *fucceff. afcendent.* §. 12. *f.*

(*b*) II. F. 84. STRYK de *fucceff. ab inteft. diff. II. c.* 2. §. 3.

(*c*) II. F. 14. II. F. 26. II. F. 49.

(*d*) STRVVII *Synt. iur. feud. cap.* 9. §. 3. diff. mea *de fucc. feud. fratr.* §. 8.

CAP. IX.

Cap. IX.

De ordine ſuccedendi feudali ſpeciali.

ARGVMENTVM.

§. 147. *Modus conſtituendi ordinem ſuccedendi ſpecialem.*
148. *an indigeat domini directi conſenſu?*
149. *an liberorum?*
§. 150. *Primogenitura.*
151. *Ratio ex ea ſuccedendi.*
152. *Maioratus.*
153. *Senioratus.*

§. 147.

Ordo ſuccedendi legitimus, cum pertineat ad *naturalia ſucceſſionis feudalis*, et non niſi *iura ſucceſſorum feudalium inter ſe* concernat, immutari et determinari poteſt non modo in *ipſa feudi conſtitutione*, verum etiam inter *ſucceſſores feudales* inter ſe (a), idque tum mutuo eorum conſenſu, videlicet pactis et obſeruantia familiae, tum *vltima voluntate* vaſalli poſſeſſoris inter hos ſolos, qui ipſius heredes ſimul in *feudo* ſunt *in allodio* (*a*), quales ex lege eſſe iubentur liberi (§. 137.). Itaque his modis introduci poteſt *ordo* in feudo *ſuccedendi ſpecialis*, qui dat *normam ſuccedendi ſpecialem* (§. 133.) (*c*), ſed inter eos tantum, qui ex *modo*, quo conſtituitur, obligari poſſunt.

(*a*) II. F. 3. §. 1. II. F. 38. 39. *Io. Tob.* REINHARDT in

in *obſ. ad Chriſtinaei deciſ. Vol. VI. obſ.* 20. *p.* 49. 51. VVLTEIVS de *feud. c.* 10. *n.* 152. B. Parens *Conſult. et dec. tom. I. P. II. reſp.* 91. *n.* 5. *Io. Vlr.* de CRAMER tom. I. op. V. c. 2. §. 2. p. 203.

(*b*) *Ge. Melch. de* LVDOLF de *introduct. iuris primogenit. Part. ſpec. aph.* 7. 10. 11.

(*c*) *Nic.* BETSIVS de *ſtatutis et pactis familiar. illuſtr. Io. Steph.* PÜTTERI diſſ. de *normis decidendi ſucceſſiones familiarum illuſtr. controuerſas.* §. 69. *Eſ. Frid.* PVFENDORF *obſ. iur. vniu. tom. I. obſ.* 190.

§. 148.

In ordine ſuccedendi ſpeciali, in *feudo* iam *conſtituto* per pacta vel per teſtamentum introducendo, de duobus momentis inprimis agitur, tum de *ipſo ſucceſſionis ordine* definiendo, tum etiam de *ſatisfactione* his praeſtanda, qui a ſucceſſione in caſu, iure communi definito, excluduntur, quae ſolet *appanagii* nomine venire. Quae omnia cum concernant *iura ſucceſſorum feudalium inter ſe*, non vero *iura domini directi: illorum* quidem, non vero *domini directi* conſenſus iure communi *neceſſarius* eſt (*a*): quamquam eundem adhibere, eiusque confirmationem impetrare conſultius ſit.

(*a*) *Io. Godofr.* BAVER l. c. §. 19. *Io. Iac.* MOSERI *Staats-Recht tom. XIII. c.* 63. §. 22. c. 64. §. 8. *Io. Petr. de* LVDEWIG in *comment. ad Aur. Bull. tom. II. tit.* 25. §. 1. *p.* 448. *Conſilia Hallenſia tom. II. lib.* 2. *reſp.* 122. *n.* 13. 14. Diſſent. *Melch. a* LVDOLF *l. c. Part. ſpec. aph. XIII.*

§. 149.

Si agitur de ordine ſuccedendi in *feudis antiquis* paterna diſpoſitione introducendo, quo interuertitur *ius ſuccedendi filiorum aequale*: *filiorum iam natorum* conſenſu opus eſt. Etiamſi ſucceſſio filiorum in feudo coniuncta eſſe debeat cum ſucceſſione *hereditaria in allodio* (§. 140.): filii tamen ex *diſpoſitione paterna* non obſtringuntur vltra id, quo *honorati* ſunt (*a*). Vt *inuiti* ex ea obſtringantur, id effici nequit, niſi ex *cauſa publica* pro tuendo familiae ſplendore, ideoque non niſi ex auctoritate *domini directi*, qui ſimul *imperio ciuili* pollet: quae ratio rarius cadit in *feuda priuatorum*.

(*a*) §. 1. *I. de ſingulis reb. per fideic. relict.* De hoc argumento varie ſentiunt interpretes. Vid. *G. M. de* LVDOLF *de introd. primog. Part. ſpec.* §. 14. *Io. Godofr.* BAVER de *primogenitura ſine conſenſu ſuperioris ordinata* § 24. *Io. Gottl.* SIEGEL de *legitima ex feudo petenda* §. 12. ſ. CARPZOV *P. III. Conſt.* 10. *def* 9. ROSENTHAL de *feud. c.* 7. *concl.* 13. *Iuſt. Frid.* RVNDE *de confirmat. caeſarea iuris primogenit. Sect.* 2. *c.* 2.

§. 150.

Splendori familiae conſeruando inſeruit Ordo ſuccedendi ſpecialis, quo *diuiſio feudi* impeditur (*a*), ſucceſſio vero *vni tantum* in familia defertur. *Maioratus* in ſenſu generali vocatur is *ordo ſuccedendi*, qui inter eos, qui ad ſucceſſionem

vo-

vocantur, determinatur per *praerogatiuam natiuitatis:* cuius tres praecipuae ſpecies ſunt primogenitura, maioratus in ſpecie ſic dictus et ſenioratus (*b*). I. PRIMOGENITVRA eſt *ordo ſuccedendi ſpecialis, quo ſucceſſio inter deſcendentes in familia per praerogatiuam natiuitatis et lineae ita determinatur, vt in omni ſucceſſionis caſu ſit penes vnum tantum, et quidem penes natu priorem, et ſic deinceps in eius linea; hac vero extincta, ſucceſſio eodem ordine deferatur ad natu poſteriores eorumque lineas (c).*

(*a*) De ea in pacta ire, vaſalli non prohibentur. II. F. 26. §. 7. II. F. 50. II. F. 55. §. 2.

(*b*) Diſſ. mea de *ordine ſuccedendi ex iure primogeniturae inter coinueſtitos in feudis imp. cap. I. §. 20.*

(*c*) LVDOLF l. c. *Part. ſpec. §. 4. n. 3. Phil.* KNIPSCHILD de *fideicommiſſ. famil. c. III. n. 4. Io.* TORRE de *ſucceſſione in maioratibus et primogenituris Italiae. Lud.* MOLINA de *Hiſpanorum primogeniorum orig. et nat. Car. Ant.* de LVCA *de linea legali. Car. Chriſtoph.* HOFACKER *de orig. et fatis ſucceſſionis ex iure primogeniturae in famil. illuſtr.* Goettingae 1771.

§. 151.

Vi primogeniturae 1) praecipuum ius ſuccedendi eſt penes vltimi vaſalli *primogenitum* eiusque *lineam*; *eaque extincta*, 2) penes *ſecundo genitum* eiusque lineam, et ſic deinceps ſuo ordine penes poſtgenitorum lineas, ita vt 3) in omni ſucceſſionis caſu ſucceſſio ſit penes *ſolum natu*

prio-

priorem eiusque defcendentes (*a*). Poteft vero primogenitura pro *natura fucceffionis feudalis*, quam fequitur, vel tantum *agnatica* effe, vel fimul *cognatica*, qua, toto ftemmate mafculino extincto, fucceffio defertur ad feminam, vltimo defuncto proximiorem, eamque natu maiorem (*b*), feruato deinceps ordine primogeniturae inter eius defcendentes mafculos.

(*a*) KNIPSCHILD *l. c. cap.* 9. *n.* 68. *f.* Diff. mea *de ordine fuccedendi ex iure primogeniturae.* §. 26. *Iuft. Sinold.* SCHÜTZ in *exerc. iur publ. ex. VII. th.* 10. *f. Franc. Ge. Andr.* HEILAND de *fucceffione fecundum ius primogeniturae Sect. III.*

(*b*) MOSER in *Familien-Staats-Recht cap.* 9. §. 58. *in f. p.* 926.

§. 152.

II. MAIORATVS in feudo eft *ordo fuccedendi fpecialis, quo fucceffio feudalis in omni cafu fucceffionis ei foli in familia defertur, qui defuncto gradu proximior, vel inter proximiores, gradu aequale, aetate maior eft.* In maioratu ergo ordo fuccedendi determinatur per *proximitatem*, et inter gradu pares per *maiorem aetatem*, nulla habita *lineae* ratione. Hinc patri fuccedit filius, et inter plures folus *natu maior*, eoue ante patrem defuncto, filius *natu* fecundus, non vero nepos ex primogenito defuncto: et inter defuncti fratrum liberos, omnes gradu pares, ceteris praefertur *natu fenior* (*a*).

(a) *Fridericus Ludouicus Comes de* SOLMS *de maioratu* §. 19. *Io. Vlr.* de CRAMER *de minoratu tom. I. opusc. p.* 336. et in Supplement. Opusc. N. XII p. 615. *Io. Frid.* BRANDIS *de vera ordinis succedendi in maioratu notione ex pactis famil. ill. repetenda* Goetting. 1784.

§. 153.

III. SENIORATVS est *ordo succedendi specialis, quo successio feudalis in omni successionis casu soli seniori in familia defertur, nulla habita gradus vel lineae praerogatiua* (a). Raro is in feudis obtinet: nec cum eo, ceu *ordine succedendi*, miscendum est *ius Senioratus in familia*, vi cuius *exercitium iurium familiae communium penes seniorem in familia est*, v. c. in exercendo prodominio respectu subuasallorum familiae, vel in obeundo prouasallagio ratione feudorum ad familiam pertinentium (b).

(a) Ita *Senioratus* a *Maioratu* accurate distinguitur. Obseruandum tamen, eundem in *sensu latiori* maioratus nomine venire interpretibus. *Nic.* BETSIVS *de stat. et pact. fam. c.* 8. §. 50. PFEFFINGER *ad Vitriarium tom. IV. p.* 174.

(b) *Melch.* GOLDASTI *Senior, siue de maioratu libri III. Wilh. Aug.* RVDLOFF in diss. de *iure senii in familiis illustr.* Butzovii 1769.

CAP.

CAP. X.

De successione feudali speciali ex simultanea inuestitura.

ARGVMENTVM.

§. 154. *Successio specialis.*
155. *Inuestitura simultanea.*
156. *Iura ex ea competentia.*
157. *Eius differentia a simultanea inuestitura Longobardica;*
158. *et ab inuestitura euentuali.*
159. *Eius vsus ex moribus Germanorum.*
§. 160. *Quatenus hodienum seruata sit.*
161. *Inuestitura simultanea Saxonica.*
162. *Eius concessio.*
163. *Iura ex eo competentia.*
164. *Vsus simultaneae inuestiturae extra Saxoniam.*
165. *Inprimis secundum ius Brunsuico-Luneburgicum.*

§. 154.

Hactenus de *successione feudali* ex iure sanguinis, nec non de *ordine succedendi* tam legitimo quam speciali. Sequitur successio *feudalis specialis*, inuestiturae speciali innixa, quae vel simultanea esse potest vel euentualis (§. 119.).

§. 155.

Ad instituta Germanica pertinet INVESTITVRA SIMVLTANEA, quae est *inuestitura, qua idem feudum, alteri principaliter constitutum, aliis*

 simul

ſimul eadem infeudatione conſtituitur ſucceſſionis cauſa. Vocatur *die Mitbelehnung* vel *communis manus*, *geſamte Hand (a):* in eaque interueniunt tum *Vaſallus principalis* ſeu vaſallus poſſeſſor, tum *coinueſtiti.*

(*a*) Ioannes Dux Sax. comites Holſatiae inueſtiuit *manu vnanimi*, *quae ſambte Hand in vulgo dicitur*, in charta de a. 1307. quam dedi in *obſeruat. iur. feud.* pag. 231.

§. 156.

I. Coinueſtiti omnes vna cum vaſallo poſſeſſore in *eadem infeudatione eiusdem feudi* continentur, ſiue comprehenſi ſint in *prima inueſtitura*, ſiue in eandem recipiantur *ex interuallo (a)*: ac proinde feudum non finitur niſi iure *horum omnium extincto:* II. cum eodem in communione dominii vtilis eiusdem feudi ſunt, ſed *ſucceſſionis tantum cauſa (a):* III. in caſu ſucceſſionis, vel *iure communi* vel *lege inueſtiturae* definito, feudum ad coinueſtitos deuoluitur: qui ſucceſſionis caſus tamen pro *caſu aperturae* haberi non poteſt per N. I. (§. 45.).

(*a*) Inde formula literarum inueſtiturae, *in die Gemeinſchaft der Lehen ſetzen*, vel *zum Gemeiner ſetzen in die Lehen.* *Ad. Frid.* GLAFEY in *anecdotis p.* 627. 636. SCHILTER de *ſimult. inueſt. princ. imp. c.* 2. §. 4.

§. 157.

§. 157.

Differt inueſtitura ſimultanea *Germanica* I. ab inueſtitura ſimultanea *Longobardis* vſitata, qua *idem feudum pluribus pro partibus determinatis, quamquam indiuiſis, conſtituitur.* Ex ea enim non datur *ſucceſſio* in alterius parte, niſi *vi ſpecialis pacti (a):* ideoque ſucceſſio coinueſtitorum non deſcendit ex *natura inueſtiturae*, ſed ex ſpeciali *lege inueſtiturae.*

(*a*) I. F. 8. §. vlt. *In alio vero feudo, quod habuit initium tantum a fratribus, non ſuccedit vnus alteri, ſiue vna inueſtitura ſiue duabus: niſi hoc dictum fuerit expreſſim, vt alter alteri ſuccedat.* I. F. 14. §. 2. *Si duo fratres ſimul inueſtiti fuerint de beneficio nouo et non de paterno, ſi vnus eorum ſine deſcendentibus maſculini ſexus mortuus fuerit, dominus ſuccedit, non frater: niſi pactum fuerit in inueſtitura, quod frater fratri ſuccedat. Per pactum enim frater ſuccedit, non dominus.* II. F. 12 pr. II. F. 18. *Auguſtin.* BALTHASAR de *indol. ſimult. inueſtit. iur. Germ.* §. 22. *Franc. Iuſt.* KORTHOLD de *ſimult. inueſtitura Haſſiaca c.* I. §. 10.

§. 158.

Differt II. ab inueſtitura *euentuali, Germanis* aeque ac *Longobardis* vſurpata (*a*), quae eſt *inveſtitura, qua feudum alteri ſucceſſionis cauſa conſtituitur in euentum, ſi domino fuerit apertum.* Haec enim datur in euentum aperturae: ideoque euentualiter inueſtiti *eadem infeudatione* cum vaſallo non comprehenduntur, ſed, *ea demum finita*, ad ſucceſſionem vocati cenſentur.

(*a*) *II. F. 26. §. 2. Ius feud. Sax. art. 32.*

§. 159.

Moribus Germanorum antiquis opus fuit *inuestitura* vel *ſimultanea* vel *euentuali* tum ad ſucceſſionem *agnatis primi acquirentis* in feudo *acquirendam*, tum ad ſucceſſionem *in caſu diuiſionis* inter plures eiusdem feudi conſortes eorumque heredes *conſeruandam* (§. 139.) (*a*), ſiquidem ope inveſtiturae inter hos ſeruata eſt *communio feudi*, vni in diuiſione vel in totum vel pro parte aſſignati (*b*). Itaque pro lege habitum eſt apud Germanos, in feudo neminem *iure ſanguinis* ſuccedere niſi *deſcendentes vltimi vaſalli*, *agnatis* vero ſiue *primi acquirentis* ſiue *vltimi vaſalli* non dari ſucceſſionem niſi vi *inueſtiturae* vel *ſimultaneae* vel *euentualis* (*c*).

(*a*) *Ius feud. Sax. art.* 32. *es ſey dann, daſs einem jeden die Anwartung oder das Geding an des andern Theile anderweit geliehen ſey.* *I F. Alem. c.* 65. *Auct. vet. de benef. c.* I. *§.* 84. *Henr. Andr.* KOCH de *expect. et inueſtit. euent. cap. III. §.* 6. *Obſeruat.* meae *iur. feud.* obſ. VIII. de *feudi communis diuiſ. §.* 7. 8. 9.

(*b*) *Ius Caeſareum art.* 12.

(*c*) SCHILTER de *ſimult. inueſtitura princ. Imp. cap.* I. *Auct.* (*Io. Dan.* GRVBER) *der Nachleſe von der geſamten Hand in Göttingiſchen Abriſs von dem neueſten Zuſtand der Gelehrſamkeit P. II. p.* 164.

§. 160.

§. 160.

Iure Longobardico per Germaniam recepto, inualuit simul successio *ex iure sanguinis* agnatorum, a primo acquirente oriundorum; indeque effectum est, vt simultanea inuestitura non nisi *iure particulari* seruata sit, eiusque *iura* pro cuiuslibet prouinciae moribus *varia ratione* determinata sint. Est ergo hodienum praesumtio pro successione ex iure sanguinis (§. 33.), donec *iure particulari* vel *obseruantia curiae* seruatam esse constet *necessitatem inuestiturae simultaneae* ad successionem agnatorum defuncti vasalli in feudo.

§. 161.

Inuestitura simultanea, *iure moribusque Saxonum determinata*, SAXONICA vocatur. Innititur principiis (§. 159.) expositis, et vna cum inuestitura euentuali, non ita frequenter apud Saxones vsitata, *vnicum fundamentum* est *successionis feudalis* tam *agnatorum* vasalli defuncti, quam *extraneorum*, qui eam impetrant.

§. 162.

Cum inuestitus per eam in *communionem feudi* cum vasallo possessore recipiatur: ius quidem eam concedendi est solius *domini feudi*, eadem tamen dari non potest nisi *consensu vasalli possessoris* (*a*).

Obſeruandum vero, 1) eam *negari* non poſſe, ſi vi *iuris proprii* petitur ad *conſeruandam ſucceſſionem* in feudo, iam delato, et per diuiſionem alteri vel in totum vel pro parte aſſignato; 2) in feudi *noui acquiſitione* vaſallo indultum eſſe ius domino *praeſentandi ſimultanee inueſtiendos*, non niſi ex cauſa ab eo recuſandos: modo 1) praeſentatio fiat intra *tempus definitum*, quod iure Sax. Electorali eſt *ſexennium*, et 2) praeſentati ipſi ſolliciti ſint de inveſtitura ſimultanea *intra annum*, ex quo praeſentati ſunt, impetranda (*b*).

(*a*) *Conſtit. Elect. Sax. XLV. P. II. Io. Gottl.* SIEGEL de *ſimultanea inueſtitura ſine conſenſu vaſalli impetrata. Geb. Chriſt.* BASTINELLER de *ſimult. inueſtitura quatenus per feudi diuiſionem amittatur.*

(*b*) *Lehn-Mandat de d.* 12. *Nou.* 1691. *§.* 5. *in* COD. AVGVSTEO *tom. I. p.* 1974. *Decretum regium d. d.* 8. *Febr. et d.* 17. *April.* 1700. ibid. *p.* 366 *et* 1975. Mand. Princ. XAVERII *Adminiſtratoris Elect. Sax.* d. d. 30. Apr. 1764. *von renouat. der Lehn und Mitbelehnſchaft tit.* 7. in append. N. XXVII. *God. Lud.* MENCKEN de *iure offerendi ſimultanee inueſtiendos.* De cautelis in iisdem recipiendis agit *Io. Gottl.* SIEGEL de *literis feudi reuerſalibus a ſimultanee inueſtitis exhibitis. I. God.* BAVER de *forma ac definit. communis Sax. manus §.* 41. ſq. *Ern. Mart.* CHLADENIVS de *obligatione literas feudi reuerſales dandi coheredibus.*

§. 163.

Per eam I. condominium vtile *ſucceſſionis cauſa* tribuitur coinueſtito in eodem feudo, quod vaſalli poſſeſſoris eſt, idque cum de praeſenti competat,

petat, *purum* eſt, et in eiusdem heredes feudorum capaces tranſiturum (*a*); vi illius II. ipſi competit ius *ſuccedendi in feudo iuxta legem inueſtiturae* (*b*). Si III. pluribus de eodem feudo *indefinite* collata eſt, ius ſuccedendi omnium coinueſtitorum eſt *aequale*, nulla habita vel *agnationis* vel *graduum proximitatis* ratione (*c*). Poteſt tamen ordo ſuccedendi inter plures coinueſtitos varia ratione *definiri*, veluti *literis inueſtiturae*, ſola formula, *nach rechter* (nach Recht der) *Sippzahl*, vel obſeruantia *familiae* (*d*). Succeſſio, quae concernit defuncti vaſalli fratres fratrumque liberos, *in ſpecie* definitur iure repraeſentationis (*e*), quod inter eosdem ex iure feudali communi obtinet.

(*a*) *Io. Balth.* WERNHER *obſ. for. Part. VI. obſ.* 275. HORN *l. c. cap. XII.* §. 8. *Io. Frid.* WERNHER de *iure ſimult. inueſtit. non alienabili.*

(*b*) *Gothofr. Lud.* MENCKEN de *ſimult. inueſtitura feminis in feudo feminino ad ſucceſſionem neceſſaria.*

(*c*) WERNHER *obſ. for. P. IV. obſ.* 145. *Hart.* PISTOR *lib.* 2. *qu.* 21. BERGER *diſcept. for. tit.* 40. *p.* 1288. *Car. Aug.* SALZMANN de *ſucceſſione ſimultanee inueſtitorum in feud. Sax. quatenus in capita fiat, quatenus in ſtirpes.* Lipſiae 1732.

(*d*) BERLICH *P. II. concl.* 53. *n.* 69. De obſeruantia, ordinem ſuccedendi ſecundum gradus praerogatiuam inter ſimultanee inueſtitos definiendi, in *certis familiis Thuringiae* recepta, egit *Matth.* COLERVS *dec.* 52. *n.* 16. REINHARTH *ad Chriſtinaei deciſ. Vol. VI. obſ.* 2. B. Parens *conſ.* et *dec. tom. I. P. II. reſp.* 85.

(*e*) HORN *I. F. cap.* 16. §. 5. 7. 8. Diſſ. mea *de ſucceſſione feud. fratrum fratrisque liberor. cap. II.*

§. 164.

Quae *extra Saxoniam* recepta eſt ſimultanea inueſtitura, iure particulari et obſeruantia cuiuslibet prouinciae determinatur (*a*): eiusque ratio non ex aliis fontibus, quam ex *iure particulari* et ex *obſeruantia curiae* nec non ex *analogia iuris communis* aeſtimanda eſt. Adhibetur 1) vel ad ius ſuccedendi in feudo *nouo acquirendum* (*b*); vel 2) ad ius ſuccedendi, ex iure ſanguinis competens, *conſeruandum*, idque vel ex cauſa *neceſſaria* ſeu vi iuris particularis, vel ex cauſa *voluntaria* ſeu cautelae gratia, ad originem a primo acquirente eo facilius probandam. Concernit illa tantum *ius ſuccedendi* in feudo: *ordo ſuccedendi* vero inter coinueſtitos ex rationibus iuris communis feudalis aeſtimandus eſt.

(*a*) *Herm. Henr.* ENGELBRECHT *de indole ſimult. inueſtit. Pomeranicae ʃ.* 16. *Io. Br.* ENGELBRECHT *notitia iuris feudorum Pomeraniae Sueciae c.* 5. *ʃ.* 7. STRYK de *feudis Pomeran. c.* 1. *ʃ.* 5. *Petr.* TORNOVII tr. de *feud. Mecklenburg P I Sect. III. cap.* 2. §. 7. Conf. *Petr. de* LVDEWIG de *ſimultanea inueſtitura c. III. et ſq.*

(*b*) *Fr. Phil.* BREITSPRECHER de inueſtitura ſimultanea eaque prima. Gryphiſw. 1771.

§. 165.

In terris *Brunſuico-Luneburgicis* et in vicinia ſeruata eſt ipſa obſeruantia ad ſucceſſionem ex iure ſanguinis conſeruandam, et conſtituit funda-

men-

mentum *iuris ſuccedendi* inter agnatos. Hinc 1) *agnati* in feudo non ſuccedunt niſi in *inueſtitura comprehenſi:* inter eosdem vero 2) *ordo ſuccedendi iuris communis* obtinet; niſi ſpecialis ordo ſuccedendi vel *pactis familiae* vel *literis inueſtiturae* definitus ſit, veluti vt vna linea poſt alteram ad ſucceſſionem vocetur (*a*). Et cum 3) ius ſuccedendi diuiſione feudi non tollatur (§. 138.): id quoque *coinueſtitis* ſaluum eſt *poſt feudi diuiſionem*, nec ad illud conſeruandum ſpeciali inueſtitura opus eſt; cum inueſtituram ſimultaneam *a Seniore* renouari ſufficiat, ceu infra exponemus.

(*a*) *Henr. Chriſt.* de SENCKENBERG de *feud. Brunſuic.* §. 29. 30. *Eſ. Frid.* PVFENDORF *obſ. iur. vniuerſ. tom. II. obſ.* 56. *p.* 218. *tom. IV. obſ.* 220. Eadem fere eſt ratio inueſtiturae ſimultaneae *Haſſiacae. Franc. Iuſt.* KORTHOLT de *inueſt. ſimult. Haſſiaca inprimis in feudis Cattimelibocenſibus cap. II.* §. 27. *ſ.*

CAP.

CAP. XI.

De ſucceſſione ſpeciali ex inueſtitura euentuali et expectatiua.

ARGVMENTVM.

§. 166. *Inueſtiturae euentualis indoles.*
167. *Tribuit ius in re euentuale.*
168. *Ius domini illam concedendi,*
169. *etiam absque conſenſu vaſalli poſſeſſoris.*
170. *Ius ſuccedendi ex ea competens,*
171. *prout feudum vel viuo domino vel poſt eius mortem aperitur.*
172. *Ius heredum inueſtiti.*
§. 173. *Expectatiua feudalis.*
174. *Simplex eſt, vel inueſtitura euentuali munita.*
175. *Ius eam concedendi.*
176. *Generalis et ſpecialis, determinata et indeterminata.*
177. *Ius expectatiuarii in caſu aperturae.*
178. *Ius heredum eius.*
179. *Quaenam in earum colliſione praeferatur.*

§. 166.

Proxima priori eſt *inueſtitura euentualis* (§. 158.): cuius indoles aeſtimanda eſt I. ex natura *inueſtiturae*, cuius ſpecies eſt (*a*): II. ex *fine* et *euentu*, in quem datur; cum *ſolius ſucceſſionis* cauſa concedatur in *euentum*, ſi feudum *domino apertum fuerit* (*b*). Eſt ergo ſua natura *conditionalis*.

(*a*) II. F. 26. §. 2. *Moribus receptum eſt, dominum de feudo militis ſui, quod poſt mortem ipſius ad dominum reuerti ſperabatur, in alium militem inueſtituram*

ram facere posse: quae inuestitura tunc demum capiet effectum, cum feudum domino aut heredi suo fuerit apertum.

(*b*) Hinc vocari solet *inuestitura in casum successionis, inuestitura de feudi caducitate, inuestitura abusiua, superinfeudatio, ein gelehnt Geding.*

§. 167.

Quae *inuestiturae* in genere, eadem tribuenda sunt *inuestiturae euentuali.* Per hanc ergo *ius in re* quidem et dominium vtile (*a*) in feudo alieno confertur (§. 106.), sed *successionis causa* tantum et in *euentum aperturae*, hoc est, in euentum, quo *extincta sint iura omnium, quibus feudum est constitutum* (*b*). Datur ergo inuestitura euentualis, *saluis horum omnium iuribus.*

(*a*) *Huld. ab* EYBEN *Elect. feud. c.* 5. STRYK *de inuestitura abusiua c.* 3. SCHILTER de *simult. inuestit. princ. imp. c.* 1. *§.* 3. HORN *I. F. cap.* 12. *§.* 4. *I. G* BAVER de *inuestitura ducum Sax de iure succed. in Duc. Iul. et Mont.* §. 17. sq. in *tom. II op.* N. 53. Non obstant dubia, quae mouet *Christ. Ern. de* ZWIERLEIN in *Nebenstunden P. I. N.* 1.

(*b*) *II. F.* 26. *§.* 2.

§. 168.

Ius eam concedendi dependet a iure domini, *feudum apertum reinfeudandi* (§. 85.): iisdemque ideo, ac hoc, limitibus est circumscriptum. Si itaque casum aperturae in tempora *successorum* incidere contingat: inuestitura euentualis *efficax* non

non eſt, niſi interueniat *ratio ſpecialis*, ex qua dominus in hunc euentum *diſponere*, vel ſaltem *ſucceſſorem* ſuum ex inueſtitura *obligare* potuerit (*a*).

(*a*) *II. F.* 35. HORNII *iurispr. feud. c. XII.* ꝸ. 15.

§. 169.

Conſenſus vero *vaſalli*, de cuius feudo ſit, ad eam concedendam *neceſſarius* non eſt (*a*), cum conferatur *ſaluis eius iuribus* (§. 167.): multoque minus ipſi ius eſt eidem *contradicendi* (*b*). *Accedente tamen conſenſu vaſalli poſſeſſoris*, *vim maiorem* ſortitur, ſimilisque redditur inueſtiturae, in cuius *pacto adiecto* tertio ius ſuccedendi datum eſt (§. 105. 111.) (*c*); adeo vt et *ſucceſſor ſingularis* in dominio directo eam agnoſcere teneatur (*d*).

(*a*) II. F. 26. §. 2. *In tali inueſtitura conſenſus eius, de cuius feudo ſit, requiri non oportet.* Vicit haec ſententia in opinionum diſſenſu tam apud *Longobardos* I. F. 27. II. F. 35. quam apud *Germanos. Ius feud. Sax. art.* 10. *Vet. auct. de benef. lib. I. c.* 27. Conf. *ius feud. Alem. c.* 19. ibique SCHILTERVS ꝸ. 5. *p.* 158. tr. meus de *expectat. inueſt. euent.* ꝸ. 80. 86. *Sig. Gottl.* HILLIGER de *neceſſitate conſenſus vaſalli in expectatiuam a domino concedendam.*

(*b*) *Io. Iac.* MOSER *Einleitung zum Reichs-Hofraths-Proceſs. tom. III. c.* 2. ꝸ. 44.

(*c*) I. F. 8. §. vlt. I. F. 14. §. 2. II. F. 12. pr.

(*d*) I. F. 3. *Regulae*, vi cuius ſucceſſor ſingularis, veluti clericus, ex inueſtitura euentuali anteceſſoris

non

non tenetur, ſubiungitur *exceptio*: *niſi ille, qui inveſtituram acceperit, nomine eius in poſſeſſionem miſſus feudi ſit*, EO CONSENTIENTE, *qui detinet*. Haec verba reſpiciunt inueſtituram euentualem *conſentiente vaſallo* poſſeſſore factam, qua videlicet feudi poſſeſſio *per ſymbola* tradita erat in caſum *aperturae*. II. F. 2.

§. 170.

Cum per illam *ius in re euentuale* in feudo alterius *ſucceſſionis cauſa tantum* conſtituatur (§. 167.): feudo *nondum aperto*, euentualiter inueſtito alia remedia iuris non competunt, quam quae pertinent ad ius futurum, *ſaluo iure vaſalli poſſeſſoris*, conſeruandum (*a*); nec is vaſallum poſſeſſorem in quolibet legitimo vſu *iuris ſui* impedire poteſt (*b*): 2) feudo vero *aperto*, inueſtitura vim ſortitur, et inueſtito, cuius ius in feudo *purum* redditum eſt, iura omnia competunt, quae ex *inueſtitura* deſcendunt (§. 107. n. 1. 2.) (*c*); modo haec in euentum, quo feudum domino actu aperitur, *efficaciter* dari potuerit (§. 168.).

(*a*) B. Parens *de iure futuro cap. II. in exercit. V. ad Pand. tom. I. p.* 163. *ſ.*

(*b*) I. F. 27. STRVBEN *rechtl. Bedenken tom. I. N.* 89. *tom. III. N.* 14.

(*c*) II. F. 26. §. 2. et §. 14. *Si facta de feudo inueſtitura poeniteat dominum, antequam poſſeſſionem transferat; an praeſtando intereſſe vaſallo liberetur? quaeſitum eſt. Reſponſum eſt, praetermiſſa illa condemnatione, dominum poſſeſſionem feudi, de quo inueſtituram fecit, tradere compellendum.* STRVVIVS in *S. I. F. c.* 7. *§.* 7. CARPZOV in *iurispr. for. P. II. C.* 45. *def.* 21.

§. 171.

§. 171.

Si euentus aperturae euenerit *viuo domino inueſtiente:* ius ſuccedendi inueſtito efficaciter acquiritur (*a*), *a ſucceſſore domini* etiam agnoſcendum (*b*). Sin euentus aperturae *poſt eius mortem* extiterit: *rationem ſpecialem* interuenire oportet, ex qua inueſtitura efficax reddatur aduerſus *ſucceſſorem in dominio directo;* qualis continetur 1) in natura *ſucceſſionis hereditariae*, vi cuius hic facta anteceſſoris praeſtare tenetur (*c*), 2) in indole inueſtiturae euentualis a domino ex *ſalute principatus* et *intra fines poteſtatis ſuae* datae, vi cuius etiam princeps eccleſiaſticus ex inueſtitura anteceſſoris obſtringitur (*d*), 3) in indole inueſtiturae euentualis, cum *conſenſu vaſalli poſſeſſoris* ſiue in prima inueſtitura ſiue expoſt conceſſae (§. 169.).

(*a*) II. F. 26. §. 14.

(*b*) I. F. 3. *Si ille, qui feudum poſſidet, prius deceſſerit, quam ille, qui inueſtituram fecit: iure cogitur* ſucceſſor *eam ratam habere.*

(*c*) Ius Longobardicum diſtinguit inter *ſucceſſorem eccleſiaſticum*, ſeu, inter eum, qui iure proprio ſuccedit, et inter *ſucceſſorem ſecularem*, quoad iure hereditario ſuccedit. II. F. 26. §. 2. *quae inueſtitura tunc demum capiet effectum, cum feudum domino aut heredi ſuo fuerit apertum. Secus eſt in perſonis eccleſiaſticis: nam ſi eccleſiaſtica perſona talem faciat inueſtituram: non aliter valebit, niſi ſibi, non etiam ſucceſſori ſuo feudum aperiatur.* II. F. 35. *Si ante deceſſerit inueſtitor, quam feudum ad eum reuertatur, ſucceſſor*

cessor (clericus) *non cogitur eam habere ratam*, *aut* (lege *vt*) *cum se viuente feudum apertum fuerit*, *possessionem tradat*, *et inuestituram adimpleat.* Conf. I. F. 3. I. F. 9. I. F. 25.

(d) *Dau. Ge.* STRVBEN *Nebenstunden tom. I. p.* 133. 137. et *obseruat. iur. et histor. obs.* 4. *§.* 22. Diss. mea de *obligatione successoris ex expectatiua feudali antecessoris* §. 20.

§. 172.

Ius ex inuestitura euentuali non tantum acquiritur *inuestito;* sed et transmittitur *in eius heredes*, feudorum capaces (*a*): nisi sit adstrictum ad *ipsius personam* (*b*).

(*a*) I. F. 9.

(*b*) Vti olim. *Iur. feud. Sax.* art. II. Sed hoc ne in Saxonia quidem vsu seruatum est. *Hart.* PISTOR *quaest. iur. lib. II. qu.* 25. *n.* 20. *qu.* 26. *n.* 17. HORNII *I. F. cap. XII. §.* 6. *Herm.* VVLTEIVS *de feudis lib. I. c.* 7. *n.* 70.

§. 173.

EXPECTATIVA FEVDALIS est *ius ad feudum acquirendum, a domino in casum, si id ipsi fuerit apertum, alteri concessum* (*a*). Dari potest non modo *conuentione domini*, verum etiam *vltima* eius *voluntate*. Vsu magis celebratur prior concedendi modus: indeque et ipsa conuentio, *expectatiuae* nomine venit. De qua cum nihil disponat ius Longobardicum: iura eius tam ex *moribus Germanorum* (*b*), quam ex *analogia* modi, quo con-

fertur, nec non ex analogia *inuestiturae euentualis* determinanda sunt.

(a) Vocatur *Anwartschaft*, *Lehnwartschaft*, *Geding*, *Angefälle*, *Anevelle*. Tract. meus de *expact. et inuest.* c. 1. §. 6.

(b) Vsum eius apud Germanos docent *I. F. A.* c. 12. 13. 19. *I. F. S.* c. 5. 11. 55. *Vet. Auct. de benef.* §. 27. et 84.

§. 174.

Quoniam *expectatiua* in eundem euentum, ac *inuestitura euentualis*, conceditur: vtraque coniungi potest. Est inde *Expectatiua* vel QVALIFICATA, *cui accessit inuestitura euentualis* (a), vel SIMPLEX, *cui haec non accessit*. Per illam feudum *constituitur et acquiritur* in euentum aperturae (§. 167.): per hanc tantum ius conceditur ad feudum in eundem euentum acquirendum: (§. 44.) ex illa oritur *ius in re euentuale*, ex hac *ius ad rem euentuale*.

(a) Designari solet per formulam *ein Geding lehnen*. *Io. Vlr. de* CRAMER de *vocabulo Geding expectatiuam non simplicem sed euentuali inuestitura firmatam significante tom. III. op. p.* 530. vel per formulam *ein Angefell lehnen*, vt in concessione Wilhelmi R. de a. 1252. in *I. Petr. de* LVDEWIG *reliqu. MSct. tom. II. p.* 247. vid. tr. meus *de expect. et inuest.* §. 78.

§. 175.

Quae dicta sunt de *concedenda inuestitura euentuali* (§. 168), eadem valent in *concedenda expectatiua*:

ctatiua: ex iisque intelligitur ſimul *iuſtitia expectatiuae* (*a*).

(*a*) STRVVIVS in *S. I. F. c. VII. §. 5. Sig. Gottl.* HILLIGER de *neceſſitate conſenſus vaſalli in expect. feud.* §. 5. tr. meus *de expect. §. 7.* Diſſ. LEYSER de *iniquit. et recto vſu expectant. §.* 60. et in *tom. IV. med. ad Pand. p.* 1318.

§. 176.

Cum expectatiua concedatur in *euentum*, ſi *feudum* domino fuerit *apertum:* dari I) poteſt non modo in *feudum determinatum*, verum etiam in *feudum*, ex pluribus *primum vacaturum:* illa SPECIALIS, haec GENERALIS vocatur (*a*): II) concedi poteſt vel in *determinato* vel in *omni aperturae caſu*, indeque vel DETERMINATA vel INDETERMINATA eſt (*b*).

(*a*) *Ius feud. Alem. c.* 12. ibique SCHILTERVS *§. 6. p.* 123. *Henr. Andr.* KOCH de *expectatiuis et inueſtitura euentuali c.* I. *§.* 5. Expectatiuam generalem PHILIPPI Archiepiſc. Colon. in *feudum intra fines Weſtphaliae proxime vacaturum ad annuos reditus XXV. marcarum* Henrico Comiti de Arnsberg eiusque filiis a. 1185. datam exhibet *Io.* RETHMEIER in *Chronic. Brunſuic. p.* 1820.

(*b*) Exemplum expectatiuae *indeterminatae* eſt in Inſtr. Pac. Weſtph. art. XI. §. 6. tract. meus *de expect. et inueſt. cap. I. §. 20. ſ.*

§. 177.

Ex quibus intelligitur, quod 1) expectatiua effectum prius non ſortiatur, quam *feudo aperto*,

et tum expectatiuario ius nascatur a domino *exigendi feudi promissi concessionem* (*a*); quod 2) ex expectatiua *generali* ipsi tantum ius sit in feudum *primo apertum*, nec ei tribui possit ius pro suo arbitrio eligendi aliud deinceps vacaturum, nisi et hoc nominatim datum sit (*b*): quod 3) ex expectatiua *determinata* ius tantum oriatur in casu *aperturae conuento*, non vero in alio *non expresso* (*c*).

(*a*) *I. F.* 9. II. F. 26. §. 2. *Dan.* NETTELBLADT de *successione expectatiuariorum in feudum apertum cap. II.*

(*b*) *Ge. Dau.* STRVBEN *Rechtliche Bedenken tom. I. resp.* 116. MEVIVS *p. VI. dec.* 152.

(*c*) *I. F. S. cap.* 5. SCHILTER *l. c. p.* 121. STRVVIVS *S. I. F. c.* 7. *§.* 5. *n.* 7. HORN *I. F. c.* 12. *§.* 9. tr. cit. *de expectat. et inuest. §.* 27. 28. Pro contraria sententia pugnat KOCH *l. c. c.* 1. *§.* 10.

§. 178.

Ius ex expectatiua transit in *heredes expectatiuarii*, feudorum capaces (*a*); nisi illa sit ad personam vel ad certos heredes adstricta. Obligatio vero domini feudi eiusque *successorum* ad implementum expectatiuae aestimanda est ex analogia eorum, quae dicta sunt de *inuestitura euentuali* (§. 171.) (*b*).

(*a*) I. F. 9. *Dan.* NETTELBLADT *de successione in expectatiuam feudalem cap. II. III.*

(*b*) Expectatiuae in feudis *prouincialibus Brunsuicensibus* vim non habent, nisi casus aperturae eueniat *viuo expectatiuario eiusque filiis primi gradus* per Recessum CHRISTIANI LVDOVICI et WILHELMI *Duc. Brunsuic.*

d. d.

d. d. 10. Iul. 1646. §. 23. quae difpofitio ad expectatiuas, tam *nudas* quam *euentuali inueftitura munitas*, pertinet. *Ge. Dau.* STRVBEN *Rechtl. Bedenken tom. I. refp.* 116.

§. 179.

In *collifione expectatiuarum*, de eodem feudo pluribus conceffarum, praecipuum alterutrius ius potiffimum aeftimatur ex iure *fortiori* et *priori* (*a*). Itaque I. expectatiua, *inueftitura euentuali* munita, praefertur *fimplici*, licet priori: II. inter duas, *inueftitura munitas*, *prioris* femper potius ius eft, etiamfi expectatiuarius pofterior nactus fit *poffeffionem:* III. inter duas *fimplices*, *prior* praefertur pofteriori, nifi expectatiuarius pofterior fit in feudi aperti *poffeffione:* IV. *fpecialis* moribus Germanorum praefertur *generali*, licet priori, nifi vel illa callide impetrata fit *inftante aperturae cafu*, vel generaliter expectiuatus iam *femel* exclufus fit a fpecialiter expectiuato (*b*).

(*a*) HORN *I. F. c. XII.* §. 10. STRVVIVS in *obf. feud. ad c.* 7. §. 6. *Ott. Dau. Henr.* BECMANNI diff. de *expectatiuis feudalib. earumque collifione* §. 43. 46. 48.

(*b*) *Ius feud. Sax. c.* 7. *Ius feud. Alem. c.* 12. ibique SCHILTERVS §. 3. CARPZOV *P. II. dec.* 45. def. 4. MEVIVS *P. IV. dec.* 79. *Henr. And.* KOCH *l. c. cap. I.* §. 19. Generalem priorem praeferendam effe putat STRYK *de concurfu expectatiuae generalis et fpecialis.*

Cap. XII.

De conseruatione feudi constituti per renouationem inuestiturae.

ARGVMENTVM.

§. 180. *Renouatio inuestiturae.*
181. *Praeceptum iuris feudalis de ea petenda.*
182. 1) *Casus petendae renouationis.*
183. 2) *Vasallorum obligatio in ea petenda,*
184. *nec non simultanee inuestitorum iure Sax.*
185. *et iure Brunsuicensi.*
186. 3) *A quo petenda sit?*
187. 4) *Tempus petitionis,*
§. 188. *eiusque prorogatio.*
189. 5) *Obligatio ad illam petendam intuitu omnium feudorum,*
190. *eaque munita poena priuationis.*
191. 6) *Modus eam petendi.*
192. *Obligatio domini circa petitam inuestituram.*
193. *Renouatae inuestiturae ratio et effectus.*

§. 180.

Ad *conseruanda* iura et obligationes domini et vasalli in feudo iam constituto pertinet RENOVATIO INVESTITVRAE, quae est *actus, quo ob specialem interuenientem causam repetitur anterior eiusdem feudi inuestitura.* I. *Causae renouationis* vel *iure feudali* definiuntur, vel *contractu feudali (a).* II. Ipsa renouatio inuestiturae est *species inuestiturae*, quae sua natura praeponit *inuestituram anteriorem*, siue hanc ipse vasallus, feudum

re-

recognoſcens, iam impetrauerit, ſiue is comprehenſus ſit in inueſtitura alterius (*b*).

(*a*) Feudi renouationem ſuaſiſſe videntur eaedem rationes, quae in *negotiis ſimilibus* interueniunt, in quibus *eiusdem rei dominium* inter plures diuiſum eſt. Caueas tamen, ne renouationem inueſtiturae pro eadem habeas cum *inueſtitura beneficii,* filiis *ex ſpeciali gratia domini* olim data *ſub Francis.* Haec enim fuit *noua inueſtitura*, non *prioris*, quae patri obuenerat, *renouatio;* ideoque ab *illa* ad *hanc* ratio duci nequit. Beneficiis demum hereditariis effectis et *in feuda* conuerſis, renouationi ſua conſtare coepit ratio ad ius *ex anteriori inueſtitura* vaſallo eiusque heredibus *acquiſitum* innouandum. vid. tract. meus *de expectat et inueſt. feud. cap. V. §.* 104.

(*b*) *Laurentius* SYLVANVS de *renouatione et recognitione feudi. Io. Alex.* CHRISTII diſſ. *de renouatione inueſtiturae feudalis. Caſp.* ZIEGLERI diſſ. *de inueſtiturae feud. renouatione.*

§. 181.

Cauſa renouationis inueſtiturae ſecundum ius feudale Longobardicum eſt mutatio in perſona vel *domini* vel *vaſalli* emergens: cautumque eſt eam in rem, vt *quoties mutatio in perſona domini et vaſalli contingit, toties vaſallus, ad quem feudum vi anterioris inueſtiturae pertinet, renouationem intra annum et diem requirere teneatur* (*a*). Deſcendit haec obligatio *immediate ex lege:* quamquam et *contractu feudali* conſtitui poſſit. In quibus caſibus ergo illa nec *lege* nec *contractu feudali* conſtituta eſt: in iisdem ceſſat obligatio ad inueſtituram renouandam.

(a) I. F. 22. II. F. 24. II. F. 52. §. vlt. *Ius feud. Alem.* c. 50. 104. *Ius feud. Sax. art.* 52.

§. 182.

Itaque I. inueſtiturae renouatio petenda eſt, ſi vel *dominium directum in alium quacunque ratione transferatur*, veluti *morte* domini, eius *reſignatione* vel *depoſitione*, *alienatione* dominii directi, eiusue *diuiſione* inter plures dominos inita (*a*); *vel ſi dominium vtile feudi quacunque ratione peruenerit ad alium, in inueſtitura anteriori comprehenſum*, veluti *morte* poſſeſſoris vaſalli vel vnius ex pluribus, *diuiſione* feudi communis, *ceſſione feudi* in vaſallum, *in inueſtitura* iam comprehenſum (*b*). Ceterum quodſi prodominus vel prouaſallus conſtitutus fuerit; mutatio in ſola perſona *prodomini* vel *prouaſalli* attenditur (*c*).

(a) II. F. 24. pr. II. F. 40. et 55. *Hier. Frid.* SCHORCH *de eo quod iuſtum eſt circa renouat. inueſt. in caſu quo dominus feudi pluribus relictis ſucceſſoribus deceſſit. Hart.* PISTOR *lib.* 2. *qu.* 47.
(b) I. F. 22. II. F. 26. §. 7. II. F. 40.
(c) ROSENTHAL de *feud. cap.* 6. *concl.* 36. *Fr. Car.* CONRADI de *Prouaſallis ex iur. Germ.* §. 22. *Sam.* STRYK de *prodomino feudi c.* II. *Huld. ab* EYBEN *Elect. feud. c.* 8. §. 5. *Io. Wilh.* ENGELBRECHT de *renouatione inueſtiturae vniuerſitatis nomine petenda.*

§. 183.

II. *Iure communi* ad eam petendam tantum obligatur *vaſallus*, *cui feudum vi inueſtiturae anterioris*

rioris actu delatum est, nulla habita *dignitatis*, *status* et sexus ratione. Itaque ad eam tenetur, 1) *possessor feudi*, iam inuestitus, mutato domino; 2) *nouus successor* in feudo, cui *vi inuestiturae anterioris* feudum delatum est (*a*), ideoque et *plures successores*, etiamsi feudum possideant indiuisim (*b*). Contra ea vero ad eam non obstringuntur *agnati* ante *delatam* successionem, nec *euentualiter inuestiti* (*c*), multoque minus *nudi exspectatiuarii.*

(*a*) I. F. 22. pr. *Sancimus, vt nemo miles vltra annum et mensem vadat, vt inuestituram beneficii sui a filio vel successore domini sui petat, vel post mortem domini sui vel patris vel alterius, cui succedere debet.* II. F. 40. ibi: *post mortem domini vasallus, vel post mortem vasalli heredes eius.* WERNHER *obs. for. P. X. obs.* 413. *Lud.* SCHRADER *de feud. P. VI. c.* 2. *n.* 25. *c. IV. n.* 8. STRVVII *S. I. F. c.* 10. *§.* 7.

(*b*) II. F. 26. §. 7. *Omnes filii eius, qui feudum acquisiuit, fidelitatem facere debent: maxime si indiuisum habent: quod si feudum ex diuisione ad vnum tantum peruenerit, ille tantum faciet fidelitatem.*

(*c*) *Ius feud. Sax. cap. V. Constit. Sax. Elect. P. II. tit.* 45. *Hartm.* PISTOR *qu. iur. lib. II. qu.* 20. *n.* 10. *et qu.* 25. *n.* 1. VVLTEIVS de *feud. lib. I. c.* 7. *n.* 81. HORN *I. F. cap. XVII. §.* 4. *Andr.* KOCH de *expect. et inuest. euent. c.* 3. *§.* 11.

§. 184.

Itaque ex *iuris communis* rationibus haec obligatio non pertinet ad *simultanee inuestitos*, cum similes sint *agnatis*, eisque feudum tantum *successionis causa* constituatur (§. 155.). *Iure Saxo-*

nico vero ad eosdem producta est obligatio poenalis ad inuestituram simultaneam *iisdem casibus* renouandam, quibus et *principalis eiusdem feudi vasallus* obligatur (*a*): quae *extra Saxoniam* adstrui nequit (*b*), nisi vbi vi *similis obseruantiae iurisue particularis* vel vi *pacti specialis* desideratur (§. 181.); ideoque haec non tam iure communi, quam potius *iure* et *obseruantia particulari* regitur.

(*a*) Quaestio olim in vtramque partem in Saxonia agitata, decisa est constitutione AVGVSTI, *Saxoniae Electoris*, de a. 1572. *Part. II. Const.* 45. *der gesamten Hand aber soll ein jeder, dem sie verschrieben, wann dieselbe durch Absterben des Lehnherrn oder des Lehnmannes und Besitzers gebrochen, ohnerachtet ob er gleich das Guth im würklichen Besitz nicht hat, innerhalb Iahr und Tag, von der Zeit der Wissenschaft an, Folge zu thun pflichtig seyn.* *Io. Petr.* de LVDEWIG de *simultanea inuestit. diss.* I. *cap. III.* §. 3. *Iac.* ALEMANNVS de *iure simultaneae inuestiturae p.* 118.

(*b*) *Io.* KOEPPEN in *decis. quaest. illustr. dec.* 47. *n.* 2. *p.* 147. *Ern.* COTHMANNVS *resp. iur. XXXI. n.* 21. *Io. Vlr. de* CRAMER *Opusc. tom. III. p.* 549. 558. Eiusd. *Nebenstunden P. IV. obs.* I. In *Lusatia superiori* inuestitura simultanea *renouationis expers* declarata est per Constitutionem Io. Georgii de a. 1652. ap. LVNIGIVM in *Corp. iur. feud. tom II. p.* 701. Idem constitutum *Iur. Bauarico.* Vid. *Wiguleus Xauer. Aloys.* L. B. *de* KREITTMAYR in *Annot. ad Cod. Maxil. Bauar. tom. V. p.* 1910. *Io. Henr.* FELTZ de *renouatione inuestiturae a simultanee inuestitis petenda.*

§. 185.

In feudis *Brunsuico-Luneburgicis* obligatio ad renouationem inuestiturae simultaneae petendam,

dam, *ipſa obſeruantia* conſtituta eſt, ita tamen vt *ſinguli coinueſtiti* eam ipſi requirere non teneantur, ſed *horum omnium nomine* et ex *ſingulorum* coinueſtitorum *mandato ſpeciali* et *ſeparato* eam peti ſufficiat vel a *vaſallo poſſeſſore*, vel vbi *ius Senioratus obtinet*, *a Seniore familiae (a)*, qui totius renovationis negotium obit (§. 165.). Cum *Senior familiae* ſit *prouaſallus* intuitu omnium feudorum, quae ad familiam pertinent: renouatio inueſtiturae tantum neceſſaria eſt in caſu, vbi mutatio vel in perſona *domini* vel in perſona *Senioris*, ceu *prouaſalli*, contigerit, nulla habita ratione, vtrum hic feudum poſſideat, nec ne.

(a) *Corp. Conſt. Calenb. tom. IV. p.* 346. *Chriſt. Henr. de* SENCKENBERG de *feud. Brunſuic.* §. 30. *Dau. Ge.* STRVBEN *Rechtliche Bedenken tom. I. reſp.* 88.

§. 186.

III. Cum ius dandi inueſtituram ſit ſolius domini vel prodomini feudi (§. 108.): renouatio inueſtiturae petenda eſt a *domino feudi*, eoque, qui in dominio directo vel iure *ſucceſſionis* vel vi *electionis* et *poſtulationis* ſuccedit (a). Si inter plures *controuerſum* eſt dominium directum, petenda eſt ab eo, qui eſt in *eius poſſeſſione* (b). *Sede vacante* cum deſit prodominus, quieſcit obligatio renouandae inueſtiturae: a *capitulo* enim, quod tutorio

rio et vicario nomine interim ecclesiam administrat, eam peti, nec *iura* nec *rationes iuris* exigunt (*c*).

(*a*) I. F. 22. ibi: *a filio vel successore domini sui.*

(*b*) *Hermann.* ZOLLIVS de *dominio directo inter plures controuerso.* *Christ.* HANACCIVS de *vasallo prouido in causa domini directi dubia* §. 11. 15.

(*c*) Capitulum nequidem in *beneficiis conferendis* fungitur *vice praelati c.* 2. X *ne sede vacante quid innouet.* SCHRADER de *feud. P. VI. c.* 2. *n.* 24. B. Parens *de feud. eccles. cap. IV.* §. 2. tom. II. *exerc. ad Pand.* p. 902. *Dau. Ge.* STRVBEN *Rechtl. Bedenken tom. II. resp.* 133.

§. 187.

IV. *Tempus* petendae renouationis iure communi constitutum est *annus et mensis*, et iure Saxonico *annus et VI. hebdomades, tribus diebus* vsu fori adiectis (*a*): idque computatur a tempore *cognitae (b) mutationis* in persona domini vel vasalli, ideoque 1) a tempore, quo vasallus scit sibi *delatam esse* successionem, 2) a tempore, quo dominus in *possessione vel quasi* est *dominii* vel *prodominii directi*, ac proinde in feudis *ecclesiasticis* ab eo tempore, quo praelatus vi *electionis* vel *postulationis* ad praelaturam peruenit (*c*). Vasallo *intra hoc spatium* mortuo, successori ex sua persona *integrum tempus legale* saluum est: idemque obtinet, si domino intra id mortuo, renouatio requirenda sit apud eius successorem (*d*).

(*a*) I.

(*a*) I. F. 22. ibi: *vt nemo miles intra annum et mensem vadat, vt inuestituram beneficii sui a filio vel successore domini sui petat.* Idem spatium per compendium *annus et dies* vocatur *II. F.* 24. *pr. II. F.* 52. *§. vlt. II. F.* 55. *pr.* Vid. *I. F. A. cap.* 50. *§.* 1. *I.* F. *S. c.* 27. *Lüd.* MENCKENII progr. de *termino annuo renouationi inuest. iure communi Imperii et Sax. definito.* vid. *Constitut. Saxonica tit.* 1. §. 15. in append. N. XXVII.

(*b*) II. F. 9. §. 1. ibi: *ex quo sciuerit. Ius feud. Alem. c.* 15. *§. vlt.*

(*c*) *Inst. Pac. Osn. art. V. §.* 21.

(*d*) I. F. 22. casus *mortis* inter causas iustas non petitae inuestiturae refertur. SCHILTER ad *ius feud. Alem. c.* 58. CARPZOV *P. II. Const.* 45. *def.* 18.

§. 188.

Temporis, ad petendam renouationem praefixi, prorogatio a domino data, vocatur INDVLTVM FEVDALE. Dari potest ad preces vasalli, nec facile negari, vbi petitur ex *probabili causa* (*a*).

(*a*) VVLTEIVS de *feud. lib. I. c.* 7. *n.* 63. *Io. Petr. de* LVDEWIG de *prorogatione inuestiturae cap. V. et VI.*

§. 189.

V. Cum *obligatio* ad petendam inuestiturae renouationem ad *naturalia feudorum* pertineat: (§. 181.) eadem obtinet in omnibus feudis, tam *propriis* quam *impropriis* (*a*); pro eaque tamdiu *praesumitur*, donec illam vel in *omni* mutationis vel saltim in *alterutro* mutationis casu remissam esse appareat (*b*). Liberant ab ea iustae, legibus-

busque probatae *excusationis causae*, sed non diutius, quam impedimentum durat (*c*).

(*a*) *Wilh.* LVDWELL de *renouat. inuestit. c.* 1. *p.* 226. *Io. Ad.* KOPP *Proben des Teutschen Lehn-Rechts tom. I. obs. IV. §.* 8. *p.* 164.

(*b*) *Andr.* KNICHEN de *pactionibus inuestiturarum P. III. c.* 4. *n.* 79. PFEFFINGER in *Vitriario illustrato tom. I. p.* 927.

(*c*) II. F. 22. *nisi iusta interuenerit causa, quare non petierit, veluti mortis, vel capitales inimicitiae, vel infantia, vel iusta absentia.* II. F. 52. §. vlt. Causas recensent *Wilh.* LVDWELL *loc. cit. cap. vlt.* ROSENTHAL *cap. VI. concl.* 50. STRVVIVS in *S. I. F. cap.* 10. *§.* 9.

§. 190.

VI. Munita est haec obligatio *poena priuationis feudi*, si modo *dolo* et ex contemtu domini renouationem neglectam esse appareat. Ob *solam culpam* priuationis poenae locus non est, tum quod ne lata quidem culpa in *poenalibus* cum dolo contendatur, tum quod inter *duas constitutiones iuris Longobardici* constitutio LOTHARII II. quae priuationem *extra casum doli* inhibet (*a*), *vsu forensi* recepta sit (*b*), contra ea vero vsum fori non tulerit seuerior constitutio FRIDERICI I. quae et *culpam* priuatione vindicat (*c*).

(*a*) II. F. 52. §. 3. *Quoniam inter dominum et vasallum nulla fraus nullumque malum ingenium debet interuenire: idcirco per hanc praesentem legem sancimus, si vasallus non dolose per annum et diem steterit, quod a domino sui beneficii inuestituram non petierit, feudum*

dum ob hoc non amittat: *dolus enim abesse videtur, si iusta causa impediente steterit.*

(b) *Io. Frid.* VOCKEL de *omissione renouationis feudalis non dolose facta hodie et praesertim in Sax. ad amissionem feudi non sufficiente* §. 25. 26. 27. *Dau. Ge.* STRVBEN *Rechtliche Bedenken tom. II. resp.* 91. Dissert. mea de *inuestiturae simultaneae euentualis non desiderata renouatione cap. III.* §. 65. *seq.* et tr. de *expectat. et inuestit. feud. cap. V.* §. 113. 123. *Transact. Megapol.* de a. 1755. §. 447.

(c) II. F. 55. pr. *Si quis infeudatus maior XIV. annis sua incuria vel negligentia per annum et diem steterit, quod feudi inuestituram a proprio domino non petierit: transacto hoc spatio feudum amittat, et feudum ad dominum redeat.* Pro hoc decreto pugnat *God. Lud.* MENCKE de *poena priuationis feudi in vasallum dolo vel negligentia renouationem inuest. non petentem legibus statuta* §. 20. *s. Io. God.* BAVER de *communi Saxonum manu ob neglectam renouationem amissa* §. 47. *Wilh. Aug.* RVDLOFF in Prol. *petitione renouationis inuestiturae quouis modo neglecta feudum amitti.* Butzov 1771. Constit. Sax. de a. 1764. tit. V. in app. N. XXVII. *I. L. E.* PVTTMANNI *obs. iur. feud.* N. 19. 20.

§. 191.

In *petenda inuestiturae renouatione* haec obseruanda sunt, vt 1) exprimatur, vel vbi opus est, probetur *casus mutationis* (§. 183.); tum 2) doceatur *anterior inuestitura* vel exhibito idoneo exemplo *literarum inuestiturae nouissimarum*, vel *probato iure succedendi* ex anteriori inuestitura; tum denique 3) exhibeantur *mandata procuratoria*, quoties inuestitura per procuratorem est accipienda (§. 110.). Vi obseruantiae, quae in curiis

feuda-

feudalibus frequenter inualuit, domino ſimul exhibendum eſt *dinumeramentum feudale* (*a*).

(*a*) *Gabr.* SCHWEDER de *denumeramentis et reuerſalibus feudi §.* 5. Idem exigitur iure *Brunſuico-Luneburgico*, tom. IV. *Corpor. conſtit. Calenb. N.* 141. *p.* 346. Vid. N. XXVI. in append.

§. 192.

Obſeruatis omnibus, quae obſeruanda ſunt a vaſallo in renouatione inueſtiturae *legitime* petenda, dominus eam *ſine difficultate* dare obligatur: adeo vt ſi vaſallus ſit in *poſſeſſione feudi*, ei ſaltem in poſſeſſorio danda ſit *inueſtitura prouiſionalis*, contradictionibus alterius in *petitorium* reiectis (*a*). *Denegatio eius* iuribus vaſalli *innocua* eſt (*b*). Quae vero *in inueſtitura* in genere, eadem et in *renouatione inueſtiturae* interuenire ſolent *ſolennia*, eaque peragi datis *literis inueſtiturae renouatae* (§. 115.).

(*a*) *Obſeruat.* meae *iuris feud.* obſ. X. de *obligatione domini in renouatione inueſtiturae ſine difficultate concedenda.* de CRAMER *Wetzlar. Nebenſtunden P. VIII. obſ.* 5.

(*b*) *Ius feud. Alem. c.* 43. *§.* 4. 5. 6. ibique SCHILTERVS §. 7. *p.* 269. *Ius feud. Sax. art.* 22. *Vet. auct. de benef. §.* 48. *Gottfr. Lud.* MENCKEN de *renouatione inueſtiturae et vinculo obligationis*, *quo dominus et vaſallus inuicem conſtringuntur.*

§. 193.

Vis impetratae renouationis inueſtiturae eſt, vt, cum praeponat inueſtituram anteriorem, qua

feudum

feudum iam eſt conſtitutum (§. 180.), 1) per eandem feudum non tam conſtituatur, quam potius *conſtitutum* confirmetur (*a*); 2) nec per eam, *qua talem*, iura prioris inueſtiturae immutentur; quamquam id fieri poſſit interueniente *conſenſu* domini ac vaſalli, eorumque, quibus feudum iam conſtitutum eſt (*b*); 3) vt vim omnem amittat, ſi ex inueſtitura anteriori *ius nullum* competiiſſe ex poſt appareat.

(*a*) tract. meus de *expect. et inueſt. feud. eiusque renovat. c. IV.* §. 103. 104.

(*b*) STRVVII *S. I. F. c.* 10. §. 6. *Io. Tob.* HELFERICH *de eo quod iuſtum eſt circa mutationem prioris inueſtiturae feudalis* §. 9. *Io. Gottl.* SIEGEL in tr. *de literis inueſtiturae c. IV. Henr.* BROCKES *ſelectar. obſeru. for. Arg. VII. p.* 42. *Io. Vlr. de* CRAMER *Nebenſtunden* P. IV. obſ. 8. *Dau. Ge.* STRVBEN *Rechtl. Bedenken tom. II. N.* 137.

CAP. XIII.

De praeſtationibus intuitu inueſtiturae faciendis.

ARGVMENTVM.

§. 194. *Laudemium conventionale et legitimum.*
195. *Ratio ſpecialis illud exigendi.*
§. 196. *Quibus caſibus vi obſeruantiae debeatur.*
197. *Obligatio inueſtiti ad id ſoluendum.*
198. *Taxa feudalis.*

§. 194.

LAVDEMIVM in ſenſu proprio eſt *honorarium*, *domino feudi intuitu inueſtiturae ab inueſtito praeſtandum (a).* Iure feudali communi laudemium non debetur: nec ideo exigi poteſt niſi vi *ſpecialis tituli*, qui vel in *ſpeciali conuentione* vel in *iure particulari* et inprimis in *obſeruantia* tam *generali* quam *ſpeciali* certae *curiae* continetur, ex qua, *an* et *quantum* praeſtandum ſit, dimetiendum eſt (*b*). Laudemium ergo vel *legitimum* eſt vel *conuentionale.* In *feudis extra curtem* illud aeſtimandum eſt ex *iure curiae*, non ex *iure rei ſitae* (§. 33.) (*c*).

(*a*) De origine vocis vid. *Io.* SCHILTER de *bonis laudemialibus* §. 5. *et* 51. *Io. Frid.* BVRI *Erläut. des Lehnrechts p.* 866. *Frid. Eſ.* PVFENDORFIVS *obſ. iur. vniu. tom. III. obſ.* 34.

(*a*) Ge.

(*b*) *Ge.* FRANZKIVS de *laudemiis c.* 4. *n.* 9. 17. Exemplum laudemii, *lege particulari* definiti, habet SANDE *de feud. Geldr. tract. II. c.* 3. *n.* 8.

(*c*) VOETIVS in *digress. de feudis n.* 106. SANDE *l. c.*

§. 195.

Vi obseruantiae *generalis* laudemium domino non nisi ex *speciali ratione* debetur (*a*), I) in casu *alienationis* feudi *in extraneum*, ad *analogiam*, vt videtur, *emphyteuseos*, II) in casu *successionis collateralium vltimi vasalli*, idque ex *moribus Germanorum*, quibus id ipsum *releuium* vocari solet (*b*).

(*a*) STRVVIVS in *S. I. F. c.* 10. *§.* 13 - 15. Conf. *Constit. El. Sax. Augusti de a.* 1582. *in* LVNIGII *C. I. F. tom. II. p.* 601.

(*b*) Vsus antiquus est, dare *equos* et *arma* Seniori in successione *agnatorum* in feudo: eaque armorum et equorum praestatio domino inuestienti honorarii ad instar soluenda, Anglis *Hereotum* vocatur, Germanis *Heergewette*, Belgis *Heergewade. Thomas* CRAGIVS de *feudis Angliae et Scotiae p.* 291. NEOSTADIVS de *feudi Hollandici orig. c. I.* SCHILTER *l. c. Christ. Gottl.* BVDER in *obs. iur. publ. et feudalis obs. V. de Praestatione Heergewettae domino directo soluenda.* Exempla sunt in *Nic. de* HONTHEIM *histor. Treuir. diplomat. tom. I. p.* 750. *et* 709. De precaria feudali seu Lehen-Bede vid. *Gercken* vermischte Abhandlungen tom. II. obs. 4.

§. 196.

Laudemium ergo domino non debetur 1) in inuestitura *descendentium* vasalli defuncti; ac pro-

inde nec in casu, quo *vnus* ex his, *redemtis* reliquorum coheredum portionibus, solus in feudo succedit (*a*); multoque minus 2) in ea inuestiturae specie, quae tantum *iuris acquisiti conseruandi* causa datur, qualis est inuestiturae *renouatio* (*b*): nisi in his casibus vel vi *conuentionis* vel vi *probatae obseruantiae specialis* introductum esse appareat (*c*).

(*a*) PVFENDORF *l. c. obs.* 34. *§.* 5. 6. 7. REINHARDT in *obs. ad Christinaei decis. vol. VI. obs.* 34.

(*b*) *Ge.* FRANZKIVS *l. c. c.* 4. *n.* 22. 23.

(*c*) WERNHER *obs. for. P. III. obs.* 92 *Abrah.* KAESTNERI diss. de *laudemio de casu ad casum non extendendo §.* 9. *s.* LVDOLF *obs. cam.* 387.

§. 197.

Cum *intuitu inuestiturae* debeatur laudemium: 1) ad hoc soluendum obligatur *inuestitus*; nec domino praeiudicat conuentio, qua alius eius solutionem in se recepit: 2) obligatio illud praestandi est annexum *obligationis* ad petendam *inuestituram*, qua ob mortem aliumue casum intra *annum* impedita, laudemium non debetur (*a*): 3) ob vnam inuestituram, in pluribus casibus intra *eundem annum* simul emergentibus factam, *vnicum* duntaxat *laudemium*, non duplex, debetur (*b*); nisi vasallus in *mora* sit.

(*a*) WERNHER *obs. for. P. V. obs.* 96. *P. VI. obs.* 456.

(*b*)

(*b*) *Receſſ. prou. Gandersheimenſis de a.* 1600. *art. in Corp. Conſt. Calemb. tom. IV. p. p.* 34. *Conſil. Hallenſ. tom. I. P.* 3. *Conſ.* 41.

§. 198.

Taxa feudalis eſt *honorarium, officialibus domini praeſtandum pro expeditione eorum, quae inueſtituram concernunt.* Vocatur *ſportula feudalis*, *Schreib-Schilling*, improprie vero et incongrue *laudemium minus.* Rationem habet *ſportularum iudicialium* (*a*), et ex obſeruantia vniuerſali debetur in *omni inueſtitura*, ſiue *prima* ſit ſiue *renouata*, et in quocunque renouationis in manu *dominante* vel *ſeruiente* factae caſu. Hinc non debetur, vbi *inueſtitura* ob mortem aliumue caſum non interuenit.

(*a*) *Io. Frid.* CHRISTII *analecta* de *ſportula clientelari, vulgo taxa feudali p.* 9. *Henr. Phil.* DOEBNERI diſſ. de *taxa feudali.* LVNIG. *corp. iur. feud. tom. III. p.* 621.

Cap. XIV.

De constitutione feudi per praescriptionem.

ARGVMENTVM.

§. 199. *Praescriptio feudalis acquisitiua.*
200. *Eius fontes.*
201. *Ad eam requiritur bona fides.*
202. *Possessio feudi, qua talis,*
203. *eaque saltim XXX. annorum.*
§. 204. *In quibus causis longius tempus desideretur.*
205. *Probatio tituli et inuestitura ad eam non desideratur.*
206. *Feudum, ea acquisitum, informe vocatur.*

§. 199.

Praescriptio feudalis acquisitiva est, *qua ius feudi acquiritur per possessionem qualificatam, per tempus lege definitum continuatam.* Quatenus per eam *vel dominium directum vel vtile sub nexu fidelitatis* acquiritur, per eam feudum *constituitur et acquiritur* (§. 43.) (*a*): ac proinde in ea *tacite* interuenisse censentur, quae in inuestitura *expresse* interueniunt (§. 101.).

(*a*) *II. F.* 33.

§. 200.

Praescriptio, ex *iure communi* ad feuda translata, tum *propriis* regitur *iuris feudalis principiis*, tum vbi haec deficiunt, *iure communi* (*a*).

(*a*) arg. II. F. 1.

§. 201.

§. 201.

Ad *iustitiam praescriptionis feudalis* secundum *analogiam iuris communis* desideratur *bona fides* per totum praescriptionis tempus continuata (*a*). Probata mala fide, cuius probatio eam *obiicienti* incumbit, praescriptio censetur *interrupta.*

(*a*) *c. vlt. X. de praescriptionib.* STRVVIVS in *S. I. F. c.* 8. *§.* 12. *n.* 3. In Italia praescriptionem feudalem agnitam non esse *absque bona fide*, perspicitur ex capitulo extraordinario *II. F.* 87. Exhibui in *obseru. iur. feud. obs. I.* § 19. *p.* 64. sententiam arbitralem *Henrici*, domini de Mecklenburg, inter *Ioannem* et *Ericum*, Duces Saxo-Lauenburgicos latam a 1321. *na beschrevenen Kayser-Rechte*, in qua possessionis, *sine interpellatione* continuatae, ideoque *bonae fidei*, ratio habetur: *welch Man in Lehen Gude de Wehre hefft sunder Lehen* (sine inuestitura) *drittich Iar ane rechte Weddersprake, und binnes des sinem Lehen-Herrn plichtige Denste darvon deyt, te Lenge und de Vorjährunge der drittich Iar gifft eme Recht, dat Gud tho beholdende vor ein recht Lehn wedder allerlei Anspracke.*

§. 202.

Fundamentum praescriptionis feudalis acquisitiuae est *possessio* feudi, *vt talis*, per tempus legitimum continuata (*a*): ideoque ad feudum, per praescriptionem *constituendum*, desideratur *possessio vel quasi dominii directi vel vtilis sub nexu fidelitatis.* Hinc ex *parte domini* praescribentis desideratur, vt *dominum directum* egerit v. c. in fidelitate intuitu certi feudi exigenda vel in danda investitura: et ex *parte vasalli*, vt rem feudalem

tamquam feudum possederit, v. c. exhibendo seruitia feudalia. Qui feudum, vt sibi oppignoratum possidet, id praescriptione acquirere nequit (*b*).

(*a*) II. F. 26. §. 4. *Si quis per* TRIGINTA ANNOS *rem aliquam*, VT FEVDVM, *possedit*, *et seruitium domino exhibuerit; quamuis de ea re non sit inuestitus*, *praescriptione tamen triginta annorum se tueri potest.* Conf. *II. F.* 33. *pr.*

(*b*) *Herm. Henr.* ENGELBRECHT *obs. for. tom. II. obs.* 62.

§. 203.

Tempus ad feudum per *praescriptionem constituendum iure feudaii* definitum est *XXX annorum* (*a*): eaque praescriptio *breuiori tempore* non perficitur, etiamsi titulus interueniat. Computatur tempus *a facto*, quo praescribens in *possessione vel quasi* dominii directi vel vtilis feudalis esse coepit: in eoque computando successori prodest *antecessoris possessio* (*b*).

(*a*) *II. F.* 26. §. 4. vid. nota §. *ant.* Aliud est, si agitur de *feudo constituto* aduersus tertium acquirendo; tum enim interueniente *iusto titulo*, quo *dominium vtile* acquisitum est, locus esse potest praescriptioni X. vel XX. annorum. *Hornii iurispr. feud.* c. XI. §. 7.

(*b*) HORNII *l. c.* §. 3. *Gottl. Ger.* TITIVS in *Teutschen Lehen-Recht c. XII.* §. 11. *Io. Lud.* SCHMIDII diss. *de praescript. feud. acquisit.* §. 21.

§. 204.

Sufficit tempus XXX. annorum ad feudi praescriptionem, nisi ex *qualitate obiecti* secundum ius com-

commune longius tempus desideretur. Itaque 1) in praescriptione *feudi ecclesiastici* contra ecclesiam requiruntur *quadraginta* anni, et praeterea lapsus *quadriennii*, restitutioni in integrum praefiniti (*a*): 2) in praescriptione *regalium* contra principem vero *immemorialis praescriptio* (*b*). Simili ratione 3) *iure Saxonico* XXX. annis accedere debet augmentum *vnius anni*, *sex hebdomadum* et *trium dierum*, in praescriptione allodii vsitatum (*c*).

(*a*) *Nov.* 111. et *Nov.* 131. *c.* 6. *c.* 17. *X. de praescript.* ROSENTHAL de *feud. cap. VI. concl.* 78. HORN *l. c.* in append. num. V. WERNHER *P. I. obs.* 133. *Io. Wilh.* DITMAR in *obs.* 35. in ZEPERNICK *anal. tom. I. p.* 194. *Alex. Arnold.* PAGENSTECHER de *praescript. feudi ecclesiastici.* Diss. *Casp.* ZIEGLER de *praescript. feudi* §. 11.

(*b*) *Rec. Imp. a.* 1548. §. 56. 59. HORN *l. c. cap. XI.* §. 4. ZIEGLER *l. c.* §. 14. TITIVS l. c. cap. XII. §. 17. *Io.* WERLOFF de *alienat. et concessione iurium quae vulgo dicuntur regalia* §. 30.

(*c*) CARPZOVIVS in *iurispr. for. P. II. c.* 5. *def.* 10.

§. 205.

Probatio tituli in praescriptione longissimi temporis iure feudali non desideratur, cum ex tanti temporis lapsu titulum interuenisse, *praesumatur* (*a*): multoque minus ad eam perficiendam necessaria est *inuestitura*, cum qua praescriptio feudalis *parem* vim habet (*b*); licet eius *renouationem*

tionem in caſu mutationis petitam eſſe oporteat, ne quaeſtio priuationis moueatur.

(*a*) HORN *l. c. §.* 6. *Hart.* PISTOR *quaeſt. iur. lib. I. qu.* 6.

(*b*) II. F. 26. §. 4. II. F. 23. pr. *Frid.* PLATNERI proluſio de *iure in feudum ante inueſtituram praeſcriptione quaeſito* p. 13.

§. 206.

Feudum per praeſcriptionem conſtitutum et acquiſitum, FEVDVM INFORME vocatur. Quod licet ratione conſtitutionis a forma ordinaria, quae *per inueſtituram* fit, recedat: in reliquis tamen *proprium* eſſe praeſumitur (*a*).

(*a*) STRVVIVS *l. c. cap.* 8. *§.* 12. *Ge. Henr.* BRVCKNER de *feudo informi inprimis praeſcriptione quaeſito*, apud IENICHEN in *theſ. iur. feud. tom. III.* p. 799.

SECTIO

SECTIO II.

DE

IVRIBVS ET OBLIGATIONIBVS EX FEVDO CONSTITVTO DESCENDENTIBVS.

CAP. I.

De iuribus domini et obligationibus vasalli in genere.

ARGVMENTVM.

§. 207. *Fontes iurium et obligationum ex feudo constituto.*

208. I) *Dominium directum, in genere.*

209. *Ius domini in eo alienando.*

210. II) *Iura singula quae ei insunt.*

211. 1) *Ius domini directi in feudum ipsum.*

212. 2) *Ius eius in vasallum*, a) *in exigenda fidelitate*,

213. 214. b) *et speciali reuerentia*,

215. 216. *nec non* c) *in Vasallagio exigendo.*

217. *Huic respondet* d) *obsequium feudale vasalli, non subiectio.*

218. *Quatenus subiectio vasalli interueniat in feudis Landsassiacis.*

219. e) *Ius domini in exigendis seruitiis feudalibus.*

§. 220. *Eiusdem limites.*

221. *Exercitium publicum dominii directi in forma iurisdictionis.*

222. *Voluntaria pertinet ad iura, quae dominio directo insunt,*

223. *contentiosa ex dispositione iuris feudalis descendit.*

224. *Praesumtio pro ea in feudis.*

225. *Eius ratio et indoles in feudis extra curtem.*

226. *Exercitium iurisdictionis adstrictum ad curiam parium.*

227. *Quomodo hodie exerceatur?*

228. *Discrimen inde descendens inter vasallos Schriftsassios et Amtsassios.*

§. 207.

§. 207.

Ex feudo conſtituto oriuntur *iura* et *obligationes domini et vaſalli:* quorum ratio non minus in *feudi eſſentia* et *contractu feudali*, quam in *iure* et *obſeruantia feudali* continetur. *Cauſae, quae concernunt iura et obligationes vel domini et vaſalli vel vaſallorum inter ſe intuitu feudi conſtituti*, CAVSAE FEVDALES vocantur.

§. 208.

DOMINIVM DIRECTVM, in *ſignificatu latiori acceptum* (§. 83.), vel *feudale eſt*, vel *allodiale*, prout vel eſt in nexu feudali alterius (§. 55.), vel absque nexu feudali habetur. In *illo* ſucceſſio *feudalis*, in *hoc* eadem, quae in alio *iure allodiali* ſucceſſio locum obtinet, legitima, teſtamentaria, et pactitia (*a*).

(*a*) *Io. Ad.* KOPP *Lehns-Proben P. II. obſ.* 3. *ſ*. 3. 6. 7.

§. 209.

Dominium directum, tam allodiale quam feudale, *independens* eſt a vaſallo: ideoque, ſi abstrahamus a nexu feudali, in quo illud eſſe poteſt; domino competit ius de eo diſponendi idque *alienandi absque vaſalli conſenſu*, quatenus id fit absque *ipſius praeiudicio* (*a*). Itaque I. vaſalli conſenſu opus non eſt, ſi dominium directum alienatur

tur in dominum *maioris* vel *aequalis dignationis*, vel ſi alienatur *territorium*, cui annexum eſt dominium directum (§. 86.), cum vaſallus eiusdem territorii vaſallus maneat. Contra ea vero II. vaſalli conſenſu opus eſt, ſi alienatio fit in dominum *inferioris conditionis*. Ceterum in omni alienatione ſolenne eſt, vaſallis *denunciare* nouum dominum directum (*b*).

(*a*) Variam ea de re ſententiam obtinuiſſe inter Longobardos, patet ex *II. F.* 34. *§.* 2. *II. F.* 55. *§.* 2. *in f. Recepta* eſt ea, quae viguit in curia *Mediolanenſi*, II. F. 34 §. 2 moribus *Germanorum* omnino congrua. ROSENTHAL de *feud. cap. IX. concl.* 62. *n.* 28. Vid. *Ius feud. Alem. cap.* 89. *c.* 136. *§.* 3. *c.* 153. *I. F. S. c.* 58. 124. Vſum medii aeui explicat Charta *Alberti* Ducis de Brunſuic. de a. 1304. apud SCHEIDT. tr. *von Adel* in mantiſſa docum. N. c. p. 423. *Cum rationi ſit conſonum et iuri conſentaneum, ac a noſtris Militibus viris prudentibus in noſtra curia probatum: quod nullus dominus vaſallum ſuum eo inuito alienare valeat, ipſi vaſallo illum, qui inferioris conditionis exiſtat, quam ipſe dominus ſit, pro domino aſſignando.* KOPP *l. c. §.* 12. *Guſt. Ad.* HVSANVS de *alienatione vaſallorum. Io. Matth.* MARTINI de hoc argumento in ZEPERNICK *Lehns-Abh. P. I. N.* 20. 21. 22. 23. *Dan.* NETTELBLADT de *oblatione feudi in ſubfeudum §.* 6. 7. *ſ.*

(*b*) *Ius feud. Al. c.* 89. *§.* 2. *c.* 153. Exempla chartarum, quibus dominus vaſallos ad *nouum dominum directum* ablegat, exhibet SCHEIDT *l. c. n.* 119. *p.* 446. *N.* 161. *p.* 528. Nouius exemplum in *Corp. Conſt. Calemb. tom. IV. p.* 343.

§. 210.

Iura, quae inſunt dominio directo, vel competunt *in feudum ipſum*, vel huius intuitu *in vaſallum*:

lum: eisdem vero reſpondent *obligationes vaſalli.*

§. 211.

Ad iura domini *in ipſum feudum* pertinet 1) *dominium directum*, ſtricte dictum (*a*), *Lehnsherrliche Eigenthum*, quo reſtringitur proprietas, in *vaſallum* translata, quo minus vaſallus poſſit feudum ſine domini conſenſu *alienare* in extraneum, nec illud reddere *deterius* (§. 35.): 2) *ius repetendi feudum finita infeudatione* (*b*), de eoque in *euentum aperturae* diſponendi (§. 85. 168.).

(*a*) *II. F.* 23. *§.* 2.

(*b*) *II. F.* 24. *§.* 11. 12.

§. 212.

Ad iura domini *in vaſallum* praeter ea, quae inueſtituram eiusque renouationem concernunt (§. 108. 187.), pertinet I. *ius exigendi fidelitatem* intuitu feudi, quae generatim in eo conſiſtit, tum ne vaſallus dominum ratione *vitae*, *corporis*, *honoris* et *bonorum* laedat, tum vt in auertendis ſimilibus aliorum laeſionibus *conſilium* praeſtet et *auxilium*, *iure* et *contractu feudali* determinatum (*a*). Intuitu feudorum *prouincialium* fidelitas non minus *territorio* quam *territorii domino* debetur (§. 86.).

(*a*) Forma fidelitatis exponitur *II. F.* 6. *et* 7.

§. 213.

§. 213.

Porro II. domino ius competit a vaſallo exigendi *reuerentiam ſpecialem*, tum *iure* et *obſeruantia feudali* tum *contractu feudali* determinatam. Origo eius coepit non minus ab antiqua *vaſallorum* quam *miniſterialium* conditione: et hinc *obſeruantiae* magna vis eſt in officiis reuerentiae pro *decoro ſeculi* et pro *conditione vaſalli* et *domini* moderandis (*a*).

(*a*) *II. F.* 23. *pr. Vet. auct. de benef. c.* 1. *§.* 8. Vſitatum olim ſeruitium *ſtrepae. Ius feud. Alem.* cap. 6. ibique SCHILTERVS. *Ge. Steph.* WISAND de *priſco honore Domino a vaſallo praeſtando.* Lipſ. 1764.

§. 214.

Ad officia *reuerentiae ſpecialis* pertinet, quod 1) vaſallus reuerentiae ſignificationem inter *inveſtiturae ſolennia* exhibere teneatur (§. 104.), quod 2) nec *accuſare* poſſit dominum (*a*); nec 3) aduerſus eum *actione* vel *exceptione famoſa* experiri (*b*); quamquam actione vel exceptione in factum vti non prohibeatur: nec 4) *iusiurandum calumniae* ab eo exigere (*c*); nec 5) *teſtimonium* aduerſus dominum dicere in cauſa ciuili et criminali (*d*), quamquam id praeſtare in *cauſa feudali* legitime poſſit (*e*).

(*a*) *II. F.* 24. *§.* 8. *II. F.* 33. *§.* 5.

(*b*) arg. *L.* 11. *§.* 1. *De dolo malo. L.* 5. *§.* 1. *de obſeq. parent. et patron.*

(*c*) *II.*

(*c*) *II. F.* 33. *§.* 4.

(*d*) *II. F.* 33. *§.* 5. *Io. Frid.* LVDOVICI de *testimonio vasalli in causa domini.* HOMMEL *obs.* 211. *p.* 235.

(*e*) *II. F.* 2. *II. F.* 32. *Car. Ferd.* HOMMEL *obs.* 211.

§. 215.

Iuribus Domini respondet *obligatio vasalli* ad VASALLAGIVM, quod est *ius iurandum, quo vasallus domino fidelitatem et reuerentiam debitam promittit* (*a*).

(*a*) Vocatur subinde *homininm, homagium, hominagium.* Charta d. 1232. *pheodalia homagia*, quae *Manschop dicuntur* in *Alb. Ge.* SCHWARZII *Pommerischen Lehnhistorie p.* 342. *Obs.* meae *iur. feud. p.* 111. 118. Vox *homagii*, ceteroquin ambigua, originem ducit ab *homine*, obnoxio et *vasallo* (§. 87.), voce more seculi in *agium flexa*, vt in vasallagio. vid. *Ern. Mart.* CHLADENIVS diss. *de homagio reali* §. 3.

§. 216.

Vasallagium debetur ex lege (*a*): ideoque *ad naturam feudi* pertinet (§. 37.), et *cuilibet domino* ius competit illud exigendi, nisi vel feudum *eo pacto* acquisitum sit, vt sine iuramento fidelitatis habeatur (*b*), vel idem inductum sit *obseruantia*, qualis occurrit in feudis, superiori ab inferiori concessis. Oritur inde feudum INIVRATVM, *intuitu cuius fidelitas ex speciali ratione iureiurando non est confirmanda:* quod subinde *Handlehn* vocatur, a fide, *stipulata manu* promissa (*c*).

(*a*) II.

(a) II. F. 3. §. vlt. II. F. 24. §. 1. II. F. 47. in f. Hinc *fidelitas* saepius pro ipso *fidelitatis iuramento* accipitur II. F. 4. De iure plurium eiusdem feudi dominorum vid. CARPZOVIVS *P. II. C.* 45. *def* 28. *Hartm.* PISTOR *lib. 2. P. 2. qu.* 47.

(b) *II. F.* 3. *§. vlt. II. F.* 24. §. 1.

(c) *Christ. Gottl.* BVDER in *amoenit. iur. feud. n. VIII. p.* 43. et in diss. *de feud. official. heredit. cap. II. §.* 13.

§. 217.

Fidelitas vasallitica et vasallagium inducit OBSEQVIVM FEVDALE, *Lehnsgehorsam*, seu *obligationem ad praestanda, quae intuitu feudi debentur (a):* non vero inuoluit *subiectionem* (§. 4.). Vasallus ergo, qua talis, *subditus* non est: quamquam alio titulo simul possit esse subditus domini sui, et quidem vel ratione *personae*, vel ratione *bonorum feudalium*, *superioritati territoriali domini directi obnoxiorum:* cuiusmodi *feuda Landsassiaca* vocantur (§. 61.).

(a) II. F. 23. pr.

(b) *Huld. ab* EYBEN *elect. iur. feud. cap.* 11. *§.* 13. *f. Henr.* HILDEBRANDT *de vasallagio subiectionem non inferente.*

§. 218.

LANDSASSIATVS est *obligatio, vi cuius possessor bonorum immobilium, superioritati territoriali subiectorum, obnoxius est ad subiectionem erga territorii dominum:* isque vel *plenus* est vel *minus plenus*, prout eiusmodi possessor subiectionem vel

ſimpliciter debet, vel tantum ratione *bonorum* (*a*). *Vaſallus Landſaſſius*, *domicilio* carens in territorio, in quo ipſi feudum conſtitutum eſt, iure communi *Landſaſſiatui minus pleno* tantum obnoxius eſt, ad ſubiectionem intuitu bonorum *feudalium*, eoque nomine ad *homagium reale* obſtrictus (*b*). Ad ius *particulare* Germaniae territoriorum pertinet (*c*), quod eiusmodi vaſallus *plenum Landſaſſiatum* ſuſcipere, ideoque *homagium perſonale* praeſtare, forumque ſubiectionis etiam in cauſis perſonalibus non feudalibus agnoſcere teneatur (*d*): id quod in Saxonia etiam intuitu *ſimultanee inueſtitorum* obtinet.

(*a*) *Io. Henr.* BERGER *de nexu iurisiurandi, quo fidelitas et ſubiectio continetur* §. 25. inter eiusdem diſſ. *iur. ſelect. p.* 1320. HORN *I. F. cap.* 13. §. 4.

(*b*) *Io. Nic.* HERTIVS *de ſubiectione territoriali* §. 3. MEVIVS *P. II. dec.* 372. PFEFFINGER in *Vitriario illuſtr. tom. IV. p.* 3. *ſ.* CHLADENIVS *de homagio reali* §. 8. *Chriſt. Henr.* GEISLER in *lib. de Landſaſſiatu.*

(*c*) *Lud.* MENCKENII duplex diſſ. *de vi ſuperiorit. territ. in territor. clauſ.* et *de foro competente vaſallorum ſimultaneeque inueſtitor.* et *ſubiectione nobilium immediatorum Saxoniae Landſaſſiorum extra hoc territorium habitantium in cancellar. Sax. et curiis prouinc. Neumanni a* PVCHHOLTZ diſſertationes *de ſuperior. territ. in ſubfeudis imp. earumque examen Henrici de* BÜNAV exhibet IENICHEN *t. III. theſ. iur. feud. p.* 505 *et p.* 659. *Io. Balth.* WERNHER *de probatione Landſasſiatus ex ſitu terrarum* in *obſ. forenſ. tom I. p* 722. *Ad. Frid.* GLAFEY *Erörterung, ob ein jeder Chur- und Fürſtl. Sächſiſcher Lehnmann zugleich ein Landſaſs und Unterthan ſey.*

(*d*) Ea-

(*d*) Eadem obſeruantia obtinet in *ducatu Luneburgico*, et vi *homagii perſonalis*, quod praeſtare tenentur vaſalli Landiaſſii, extra ducatum domicilium habentes, ibidem *forum* ſortiuntur in cauſis omnibus *perſonalibus*. *Eſ.* PVFENDORFII *introd. ad Proc. ciuil.* *P. I c.* 10. §. 31. *Dau. Ge.* STRVBEN *Rechtliche Bedenken tom. II. reſp.* 25.

§. 219.

SERVITIA FEVDALIA ſunt *officia vaſalli ſpecialia, virtute fidelitatis et reuerentiae intuitu feudi praeſtanda* (*a*). Determinantur tum per *contractum feudalem*, tum per *ius feudale* et per obſeruantiam (*b*). Domino vero ius eſt ea exigendi eaque indicendi.

(*a*) *II.* F. 23. *in f.*
(*b*) *II. F.* 2. *ſ.* 2.

§. 220.

Quaecunque officia nec ex *fidelitate* nec ex *ſpeciali reuerentia* deſcendunt, ea nec vaſallus, qua talis, domino praeſtare obligatur (*a*). Vnde Vaſallus nec ad *aes alienum* domini exſoluendum (*b*), nec ad *alimenta* domino inopi exhibenda obſtringitur.

(*a*) *II. F.* 39. *ſ. vlt.* STRVVIVS *in S. I. F. cap. XI.* *ſ.* 5.
(*b*) *II. F.* 26. *ſ.* 16.

§. 221.

Ad *naturam* dominii directi pertinet, quod iura, in eodem contenta, iure moribusque feudalibus exerceantur *auctoritate publica* et in forma *iurisdictionis*. Itaque dominio directo iure feudali annexa est IVRISDICTIO FEVDALIS, quae in sensu generali est *potestas publica statuendi de causis feudalibus*. Est haec vel *voluntaria* vel *contentiosa*, prout causae feudales vel *non litigiosae* sunt, vel *litigiosae*.

§. 222.

Voluntaria iurisdictio pertinet ad *publicum exercitium* iurium, quae dominio directo insunt: et quousque *hoc* patet (§. 208.), eousque pertingit potestas *statuendi* de causis *feudalibus non litigiosis* (a).

(a) Solet etiam *extraiudicialis domini potestas* appellari. *Huld. ab* EYBEN *de causis feudal. Sect. V. §.* 4. inter opera p. 667. ROSENTHAL *de feud. c.* 10. *concl.* 25. *c.* 12. *concl.* 20. *n.* 16. Huc pertinet *potestas inuestiendi*, *indultum feudale*, vel *consensum in alienationem impertiendi*, *seruitia feudalia indicendi*, cet.

§. 223.

Iurisdictio contentiosa ex *dispositione iuris communis* annexa est dominio directo, modo talis dominus sit, qui *in genere* iam pollet *iurisdictione ordinaria* (a). Est vero adstricta ad *causas feudales*

les litigiosas: ideoque est iurisdictio *specialis*, eique locus est, quoties lis est de *iuribus* et *obligationibus* vel *domini* vel *vasalli*, ex *feudo constituto* oriundis, de iisque aduersus dominum vel vasallum agitur.

(*a*) *I. F.* 18. *II. F.* 15. 16. 34. *pr.* 39. 46. *et* 55. *vlt.* Mores *Germanorum*, cum his conspirantes, exposui in *obs. iur. feud. obs. XII. de iudice feudorum extra curtem §.* 7. *s.* Iurisdictionis feudalis fundamentum neque ex *contractu feudali* cum SCHRADERO *de feud. Part. X. Sect. I.* neque ex *nexu feudali* inter dominum et vasallum, vt censet *Io. Ge.* ESTOR *de iurisdictione curiarum clientelar. Germ. c. V.* §. 23. neque ex iure *dominii* vel *dominicae potestatis*, ceu existimauit *Christ. Henr. de* SENCKENBERG *von der Kayserl. höchsten Gerichtbarkeit in Deutschland §.* 2. repeti potest. Sed cum iurisdictio sit *pars imperii*; eam vel vi *imperii ciuilis* vel ex iure, ab *imperante indulto*, competere oportet. Quod vero in *causis feudalibus* exerceri possit maxime intuitu eorum, qui iurisdictioni domini ceteroquin non subsunt, id quidem *ex lege* est. *Christ. Gottl.* BIENER de *orig. iurisd. feudalis ex iurisdictione ordin. repetundis.* Lips. 1779.

§. 224.

Itaque I) *naturale* dominii directi est, quod dominus *iurisdictionem*, si quam habet, possit in *causis feudalibus* exercere: et cum naturalia placuisse *praesumantur* (§. 36.), vasallus in feudi constitutione iurisdictioni Domini in *causis feudalibus* tacite se submisisse, eamque vi legis in *his causis* in eum *prorogasse* censetur (*a*). Caret eadem II) dominus *priuatus*, *omni iurisdictione* destitu-

tus: eaque non minus exulat in caufis vafalli *non feudalibus*, etiamfi feudum fit *Landfaffiacum*. Vbi tamen *plenus Landfaffiatus* viget; iurisdictio domini directi producitur ad caufas vafallorum perfonales *non feudales* (§. 219.).

(*a*) *Io. Aug.* HELLFELD *de genuino fundamento iurisdictionis feudalis* §. 21.

§. 225.

Ex eadem iuris praefumtione iurisdictio feudalis, domino etiam competit in feudis prouincialibus *extra curtem*, feu in *territorio alieno* fitis (§. 61.) (*a*). Haec vero per prorogationem vafalli conftitui aliter nequit, quam interueniente confenfu *domini territorii* expreffo vel tacito (*b*); nec 2) competere pateft nifi *falua fuperioritate territoriali*, cui fubiectum eft feudum extra curtem; ideoque 3) *fubordinata* effe praefumitur *fuperioritati territoriali*, exemplo iurium, in *territorio alieno* competentium (*c*), nifi eam *conuentione* vel *obferuantia* exemtam effe appareat.

(*a*) *Mich. Henr.* GRIEBNER *de dominio directo in alieno territorio* §. 9. inter *opufc. tom. IV.* p. 118. *Io. Wilh.* de GOEBEL *de feudis extra curtem Sect. II.* §. 27. *Burch. Gotth.* STRVVIVS *de dominio directo in alieno territorio P. I.* §. 15. *Lud.* MENCKE *de vi fuperioritatis territ. in territoriis claufis* §. 42. cit. *obf. iur. feud. XII.* §. 9. 12. *f.*

(*b*) vid. *Obf. iur. feud. l. c. N. XII.* §. 10.

(*c*) *Frid. Ef.* PVFENDORF *obf. iur. vniu. tom. I. obf.* 100. *Dav.*

Dav. Ge. STRVBEN *Rechtliche Bedenken N.* 113. *p.* 263. *Henr. de* DOERING *de appellatione in caufis feudal. §.* 28. 29. *Io.* SCHILTER *de Landfaff. cap.* 7. *n.* 18.

§. 226.

EXERCITIVM IVRISDICTIONIS FEVDALIS tum iure communi, tum ex moribus Germanorum adftrictum eft ad *Curiam Parium*, feu *felectorum vafallorum ab eodem Domino feuda tenentium* (*a*). Curiae praeerat vel *dominus ipfe*, vel ex eius auctoritate *iudex curiae* (*b*): ad eamque relati funt 1) actus *folennes iurisdictionis voluntariae*, veluti *inueftitura* (*c*): 2) actus *contentiofae iurisdictionis*, ita explicandi, vt de lite inter *vafallos* mota dominumque haud concernente, cognitio effet *domini in Curia Parium;* de lite vero inter *dominum* et *vafallum* mota cognitio effet *curiae parium*, ipfius tamen domini auctoritate fub praefidio *vicarii iudicis curiae* ordinatae (*d*).

(*a*) *Io. Iac.* MASCOVIVS *de paribus curiae §.* 6.

(*b*) *Ius feud. Alem. c.* 120. *Obf.* meae *iur. feud.* obf. XI. *de iudice curiae feudalis §.* 2. 3.

(*c*) *II. F.* 2. *II. F.* 32.

(*d*) I. F. 10. 21. II. F. 16. II. F. 34. II. F. 55. §. vlt. Diploma RVDOLPHI I. de a. 1290. in SENCKENBERGII *corp. iur. feud.* p. 576. in quo coram tribunali definitum effe legitur, *quod ipfe dominus fuum vafallum, praefentibus aliis vafallis coram fe ad iudicium poteft euocare et cognofcere poterit pro et contra ipfum vafallum, prout ipforum dictauerit praefentia vafallorum.* Conf. cit. *obf. XI. §.* 3. *et vlt.*

§. 227.

Iudiciis perpetuis ordinariis per Germaniae prouincias ordinatis, eadem *mutatio* contigit in exercitio *iurisdictionis feudalis*: ſiquidem conſtitutae ſunt *cancellariae feudales*, vel ad vtramque iurisdictionem *voluntariam* et *contentioſam* exercendam, vel ad *voluntariam* tantum, cauſis contentioſae iurisdictionis *iudiciis ordinariis* demandatis. Inde in deſuetudinem abiit iudicium *parium curiae*: nec id hodie ſeruatur niſi ex *ſpeciali prouinciae obſeruantia*, vi cuius perinde, vt olim, ei locus eſſe poteſt tam in lite inter *dominum* et *vaſallum*, quam in lite *vaſallorum* inter ſe; niſi vbi eius vſus obſeruantia ſpeciali adſtrictus eſt ad litem inter *dominum* et *vaſallum* (a).

(a) *Iuſt. Ge.* SCHOTTELIVS *de ſingular. in Germ. iurib. c. IV. p.* 118. LVDOVICI *Lehns-Proceſs c.* I. §. 6. B. Parens *Conſult. et Deciſ. tom.* I. *P. II. reſp.* 98. *et* 146. *Gottl. Aug.* IENICHEN *de vſu hodierno parium curiae in iudiciis Germ. feudal. Godofr. Dan.* HOFFMANN *de vſu moderno iudicii parium curiae Wurtenbergici.* Idem *de non vſu iudicii parium curiae in cauſis vaſallorum Haſſiacorum et Cattimeliboceuſium.*

§. 228.

Ratione *iurisdictionis feudalis contentioſae*, quae in feudis *prouincialibus* exercetur, alia feuda *immediate* ſubſunt *ſuperioribus prouinciae iudiciis*, quod maxime obſeruatur in feudis *equeſtribus*, alia

alia *inferioribus praefecturae iudiciis.* Vasalli, qui *illis* in prima instantia subsunt, *Schriftsassii:* qui *his*, *Amtssassii* vocantur (*a*): cuius distinctionis tamen ratio non habetur in iis, quae ad iurisdictionem feudalem *voluntariam* pertinent, quippe Domino directo reseruatis.

(*a*) *Io.* SCHILTERI comment. *de Landsassiis*, *Amtsassiis et Schriftsassiis*, quae extat in *prax. iur. Rom. ex. III.* *Ahas.* FRITSCIVS in *exercitat. iur. publ. Part. II. p.* 85. *s.* *Io. Gothofr.* BAVER *de Landsassiis et foro Amtsassiorum.*

Cap. II.

De iure domini circa seruitia militaria.

ARGVMENTVM.

§. 229. *Seruitia militaria et non militaria:*
230. *Vtraque legalia et conuentionalia.*
231. *Equestria et castrensia. Inde distinctio feudorum.*
232. *Feudum nobile equestribus seruitiis obnoxium est; nisi probetur Francum.*
233. *Ius domini exigendi seruitia militaria.*
234. *Speciatim in feudis prouincialibus.*
§. 235. *Ius ea indicendi, eorumque modum determinandi.*
236. *Obligatio vasalli ea praestandi.*
237. *Eorum redemtio.*
238. *Praestanda sunt adversus quemcunque;*
239. *nisi sit feudum non ligium.*
240. *Quid iustum sit in ipso vsu seruitiorum?*
241. *Ius hodiernum.*

§. 229.

Seruitia *feudalia* vel MILITARIA sunt, *quae per militiam;* vel NON MILITARIA, *quae alia ratione quam per militiam praestantur (a).*

(*a*) Vtraque comprehendit formula *in Noth- und Ehrenzügen*, vt in literis inuestiturae *Friderici Wilhelmi* Electoris Brandenburgici de a. 1665. in LVNIGII *corp. iur. feud* tom. II. p. 1063. *in Ehren und Nöthen, dem Anschlag nach, die gebührende Rossdienste zu leisten.*

§. 230.

Vtriusque generis ſeruitia vel *legalia* ſunt vel *conuentionalia*, prout obligatio ad ea praeſtanda vel ex *iure feudali* vel ex *ſpeciali conuentione* deſcendit. Illa cum ad *naturam feudi* pertineant, etiam *non promiſſa* debentur (*a*).

(*a*) *Andr.* KOHLIVS *de ſeruitiis feudalibus Part. IV. Ge.* ENGELBRECHT *de ſeruitiis vaſallorum militaribus. Ant.* BORRINIVS, ICt. Taurinenſis, *de caualcata et vaſallorum ſeruitiis pacis et belli tempore praeſtandis.*

§. 231.

Nobiliora ſeruitia militaria apud Germanos fuerunt *equeſtria* et *caſtrenſia*; quorum illa *in exercitu equis et armis*, haec *cuſtodia* ſeu defenſione *caſtri* praeſtantur. Ad illa vaſallus ex *iure communi*, ad haec non niſi vi *ſpecialis conuentionis* obligatur. Nata inde eſt diſtinctio inter *feuda* EQVESTRIA, *Ritter-Lehn*, *quorum intuitu ſeruitia equeſtria* (*a*), et inter *feuda* CASTRENSIA, *Burg-Lehn, quorum intuitu ſeruitia caſtrenſia praeſtanda ſunt* (*b*).

(*a*) *Henr.* HILDEBRAND *de equo ſequelae et ad alia ſeruitia deſtinato et de equo equeſtri et feudali cap. III.*

(*b*) *Ius feud. Sax. cap.* 75. *Ius feud. Alem. c.* 139. 146. *Io. Wilh.* WALDSCHMIDT *de feudis caſtrenſibus.* De militia et feudo caſtrenſi egi in diſſ. *de iuribus ex ſtatu militari vet. Germ. deſcendentibus c. I. §.* 16. *c. II. §.* 16. *cap. III. §.* 4. *ſ.* Feudum caſtrenſe, propter *reſidentiam* Vaſalli in caſtro agendam aſſignatum,

tum, subinde vocatur *Sess-Lehn.* Vid. *Obseru. iur. feud.* p. 192.

§. 232.

Feudum *nobile* seruitiis *equestribus* obnoxium esse praesumitur (*a*), donec *immunitatem* ab illis *speciali titulo* acquisitam esse appareat, veluti conuentione domini et vasalli, et praescriptione (*b*). Oritur inde FEVDVM FRANCVM *feudum* videlicet *nobile, a seruitiis militaribus praestandis ex titulo speciali immune.* Est illud ratione seruitiorum quidem improprium: in reliquis vero seruat naturam feudorum (§. 40.) (*c*).

(*a*) II. F. 21. II. F. 55. §. 1. *Ius feud. Alem. c.* 113. *§.* 1. *vlt.* *Io. Ge.* CRAMER *de iurib. et praerogatiuis nobilitatis auitae c. V. §.* 5. *p.* 399. *s.*

(*b*) *Sam.* STRYK *de immunitate a seruitiis feudalibus.*

(*c*) *Ius feud. Sax. c.* 74. *Ius feud. Alem. c.* 148. *§.* 2. WERNHER *P. III. obs.* 114. *Herm. Rich.* POLLMANN *de feudo franco* §. 37. in *Ienichen* thes. I. F. tom. II. N. 20. *Casp. Henr.* HORN *de feudo franco §.* 18. Vocatur etiam *feudum honoratum*, *Ehren-Lehn.*

§. 233.

Domini directi ius est seruitia militaria *exigendi*, quoad iisdem ipse opus habet suae tutelae caussa et ad auertendas *aliorum laesiones:* modo vel ipse *iure belli* sit instructus, vel saltem *dominus* feudi *superior,* cui ipse seruit. Competit ergo in bello *iusto* et *probabili* (*a*): in bello manifesto iniusto

iusto fas est vasallo, illa impune negare, nisi pro *defensione* domini exigantur. Pluribus de *dominio directo* litigantibus, seruitia debentur ei, qui est in possessione vel quasi dominii directi (*b*).

(*a*) II. F. 28. pr.

(*b*) arg. I. F. 23. II. F. 26. pr. et §. 1. *Christianus* HANACCIVS *de vasallo prouido in causa domini directi dubia.* §. 15.

§. 234.

In feudis Germaniae *prouincialibus* dominus *territorii* ius habet exigendi seruitia, quoad ipsi opus est vel in *territorii vtilitatem* (*a*), vel in *vtilitatem imperii R. G.* (*b*), in cuius nexu feudali est territorium.

(*a*) *Dav. Ge.* STRVBEN *Neben-Stunden tom. I. obs. IV.* §. 4. p. 431. s.

(*b*) II. F. 52. pr. in f. II. F. 54. 55. §. 1. II. F. 40. §. 2. *Ius feud. Alem.* cap. 8. §. 3. *Het ein Herre Lehen von dem Kunig oder ein ander Man das des Riches Gut ist; und het er das andern Lüten verlühen, die nöttet er wol mit im zu varende in des Reiches Dienste mit Recht. Vet. auct. de benef.* §. 13. *Ius feud. Sax. art.* 4. Constit. *de expeditione Romana* cum comment. *Ge. Christ.* GEBAVERI p. 251.

§. 235.

Cum iure domini exigendi seruitia coniunctum est 1) ius illa *indicendi* (*a*); qua indictione opus est in illis efficaciter exigendis, cum *vltro* praestari non debeant, nisi in casu manifesti periculi: 2) ius

2) ius *determinandi modum ſeruitiorum* (*b*), niſi et is iam definitus ſit conuentione, cui a domino ſtandum eſt. Seruitia quoad qualitatem et quantitatem definita, *determinata* vocantur; quae nec ſola domini auctoritate augeri, nec a vaſallo minui poſſunt.

(*a*) II. F. 26. §. 16. II. F. 28. §. 1. II. F. 37. §. 1. II. F. 54. et 55. §. 1. Indictio *Heribanni* nomine venit. De indicta ab Imperatore expeditione Romana vid. *Ius feud. Alem. c.* 7. 8. *Vet. auct. de benef.* §. 9. *ſ.* Seruitium in ea praeſtandum a vaſallis imp. indicendum erat ſubuaſallis *II. F.* 54. in f. Exempla indictionum ex nouiori aeuo habet LVNIG in *corp. iur. feud. tom. II. p.* 975. 1661. *tom. III. p.* 921. 1021.

(*b*) *II. F.* 54. ibi: *pro quantitate feudi ſtipendia militiae perſoluendo. Henr.* HILDEBRAND cit. diſſ. *de equo ſequelae equeſtri c. II.* §. 11. STRVV. *S. I. F. cap. XI.* §. 1. *Andr.* KOHL *de ſeruit. feud. Part. IV. n.* 28. *ſ.*

§. 236.

Cum domini interſit, ſeruitia ab *ipſo vaſallo* exhiberi ob fidelitatem ab eo praeſtitam: ipſius quoque ius eſt poſtulandi, vt *in perſona* praeſtentur. In *ſubſidium* vaſallus ea vel per *ſubſtitutum idoneum* praeſtare, vel *redimere* tenetur; idque vel ex *mutuo* domini et vaſalli *conſenſu* vel ob *iuſtum impedimentum* vaſalli, veluti ob infirmitatem aetatis et valetudinis, ob ſtatum et conditionem perſonae, ſimileue legitimum impedimentum (*a*).

(*a*) II. F. 24. §. 7. II. F. 26. §. 12. II. F. 36. *Ius feud. Alem. c.* 67. 87. *Inſtr. Pac. Weſtph. art. IV.* §. 50.

§. 50. *Leonard. Ludou.* MENCKEN *de vaſallo Saxonico inuito territorii domino in numerum militantium alterius territorii domini tranſire prohibito.* Witteb. 1744. *Iuſt. Ge.* CHLADENIVS de iure auocandi vaſallos exteris militantes. Witteb. 1728. MOSER Nachbarliches Staats-Recht p. 566.

§. 237.

Redemtio ſeruitiorum militarium ADOHA vocatur (*a*). Huius ſpecies ſunt HOSTENDITIAE, quae, in ſpecie ſic dictae, ſunt *praeſtationes pecuniariae, quibus redimitur ſeruitium vaſalli domino ſuo in expeditione in vtilitatem Imperii Romano-Germanici praeſtandum* (*b*).

(*a*) *Henr.* COCCEII *de adoha. Io. Dau.* LVDECKE *de adaeratione ſeruitiorum equeſtrium. Io.* STRAVCH *de hoſtenditiis.*

(*b*) In ſeruitio, a vaſallis prouincialibus in expeditione Romana dominis ſuis praeſtando, placuit alternatiua, vt vel *in natura*, vel per *ſubſtitutum* idoneum, vel per *redemtionem* praeſtaretur. II. F. 55. §. 1. Quantitas eius definitur *II. F.* 40. et *II.* 55. §. 1. Qui a diuerſis dominis tenebant feuda prouincialia, ſeruitium imperii praeſtare ſingulis tenebantur, et *vni* ſeruire in perſona et *alteri* ſoluere hoſtenditias. *Vetus auct. de benef. §.* 110. *Conſtitut. de expedit. Romana* l. c. p. 256.

§. 238.

Seruitia militaria, niſi aliud conuentum, vaſallus domino praeſtare tenetur *aduerſus quemcunque* (*a*), excepto eo, cui vaſallus nexu *imperii ciuilis* deuinctus eſt: quo intuitu *imperator* ipſa

iuris

iuris dispositione (*b*), et ex eius analogia *territorii dominus* in feudis extra curtem exceptus est. Vt ratione *aliorum* vasallus a seruitio liberetur, *conuentione* opus est: et *tacite* exceptus censetur dominus *antiquior* (*c*).

(*a*) II. F. 28. §. 4.
(*b*) II. F. 7. II. F. 55.
(*c*) II. F. 28. §. 4.

§. 239.

Feudum LIGIVM est, intuitu *cuius vasallus domino obligatur ad seruitia militaria aduersus quemcunque praestanda, nemine per conuentionem excepto* (*a*); et *feudum* NON LIGIVM, *in quo haec obligatio cessat intuitu vnius alteriusue, conuentione excepti*. Feudum *ligium* praesumitur; ex eo tamen seruitia non debentur aduersus *imperatorem*, lege ipsa exceptum (*b*).

(*a*) Inde Vasallus *ligius* vocatur *homo absolutus*, vulgo *Ledigmann*, in charta apud *I. Frid.* SANDE in Comment. ad *Consuet. Geldriae tit. I. c. I. n.* 24. *p.* 12. veluti domino absolute et vnice addictus. Hoc ius feudi *Lethicheit* vocatur apud Dn. de GVDENVS in *Cod. dipl. tom. I. p.* 579.

(*b*) Datur ergo feudum *ligium*, a *Statibus imperii* recognitum, licet in eodem Imperator *lege* excipiatur. Exempla exhibet de GVDENVS *l. c. tom. I. p.* 550. *et p.* 579. Aliud visum est *Lud. Sigfrido Comiti* VICEDOMINO AB ECKSTAEDT in diss. *de feudis ligiis §.* 11. qui feudum ligium non habet, nisi quod datum a domino directo, superiorem non recognoscente. Conf.

Conf. cit. diss. *de iurib. ex ſtatu milit. deſcend. cap. II.* §. 4.

§. 240.

De *vſu ſeruitiorum militarium* 1) *in expeditione ſtatuendi ius* eſt *domini*, prout ipſi pro *periculi auertendi* ratione commodum videtur; idque durat tamdiu, quamdiu id exigit eorum praeſtandorum cauſa. Cum vero in ipſius vtilitatem praeſtentur: aequum eſt, 2) pendente expeditione ab ipſo *annonam*, *commeatum* et *pabulum* ſubminiſtrari (*a*). Ceterum *damnum*, quod vaſallus in expeditione patitur, *ipſius vaſalli* eſt: quamquam ex eo nanciſcatur *excuſationem* ab vlteriori ſeruitii praeſtatione in eadem expeditione; niſi domino viſum fuerit ſubuenire vaſallo per damni reparationem (*b*).

(*a*) II. F. 107. pr. *Sig.* FINCKELTHAVS *controu. feud. diſp.* 9. §. 9. *p.* 299. *Andr.* KOHL *de ſeruit. feud. Part. VI. p.* 227. *Io. Frid.* RHETIVS in *comment. ad ius feud. Long. p.* 445. LEYSER de *feud. Brunſu. et Luneb.* in addit. §. 36. STRVBEN l. c. *obſ.* 4. §. 7. *p.* 443. *Ph. W.* GERCKEN *Abhandl. aus den Lehnr. P.* 2. *N.* 3. *p.* 48. Multum quoque in hoc dandum eſt obſeruantiae. Quae ab *Auct. de benef.* §. 9. 14. *ſ.* et in *iure f. Alem. c.* 7. *et* 8. in *iur. Sax. cap.* 4. exponuntur, concernunt ſeruitium in expeditione in *vtilitatem Imp. R. G.* praeſtandum.

(*b*) *Ius feud. Sax. c.* 4. *Vet. Auctor de benef.* §. 17. SCHILTER in *Comm. ad ius feud. Alem. c.* 9. §. 4. STRVBEN *l. c. obſ.* 4. §. 10. *p.* 459.

§. 241.

Saluum hodienum eſt *ius domini*, ſeruitia militaria a vaſallis exigendi: ſed id parum conuenit ob *mutatam militiae rationem*. Hinc cauſa praeſtandorum ſeruitiorum militarium fere redit ad *conuentionem* et ad *obſeruantiam*, vi cuius vel pro numero equorum equeſtrium *der Ritter-Pferde* tot equites, armis et equo ſatis inſtructi, ſiſtendi ſunt, vel *pretium* equorum equeſtrium, prout vel in *matriculis equeſtribus* vel *conuentione* et *obſeruantia* definitur, ſoluendum eſt (*a*).

(*a*) STRVVII *S. I. F. cap. XI.* §. 5. *n.* 12. SCHILTER in *not. ad Struuium p.* 130. *Rechtliches Gutachten wegen der Lehnsvererbung und jährlicher Bezahlung der Ritter-Pferde. Io. Petr. de* LVDEWIG in *Comment. ad Aur. Bull. tom. II. p.* 1020. LEYSER *de feud. Brunſuic. p.* 49. *Io. Henr. Chriſt. de* SELCHOW *elem. iur. Germ.* §. 238.

CAP. III.

Cap. III.

De iure domini circa non militaria seruitia.

ARGVMENTVM.

§. 242. *Seruitia non militaria, 1) ex lege debita, sunt vel honoraria et aulica*
243. *vel iudicialia.*
244. 2) *Seruitia conuentionalia. Inde orta feuda conditionata.*
§. 245. *Feuda Ambactae.*
246. *Feuda Palatina.*
247. *Feuda praestationibus obnoxia.*
248. *Ius domini circa praestationes ex feudo exigendas.*

§. 242.

Seruitia non militaria vel ex *lege* et *obseruantia* debentur, vel ex *conuentione*. Ad priora pertinent I. SERVITIA HONORARIA et AVLICA, *honoris domino exhibendi causa, ipso comitatu vasalli praestanda.* Continent debitum *reuerentiae* (§. 216.); et determinantur per *obseruantiam;* ex qua intuitu feudorum nobilium praestanda sunt tum in *proprium* Domini *honorem*, tum honoris *superiori feudi domino* habendi causa, maxime in solenniori aulae ceremonia. Natum inde est domini ius ea *indicendi* vasallis, totamque *seruitiorum rationem* apparatumque, *vasalli impensis* instruendum, *praescribendi* (*b*).

 (*a*) Fre-

(*a*) Frequentes olim vaſalli fuerunt *ex officio* in *aula domini;* eiusque rei memoria ſeruatur in monumentis medii aeui, ab his, qui dominum ſuum *comitabantur*, ſubſcriptis. Magis conſpicuum eſt id vaſallorum ſeruitium in ſolenni aulae ceremonia, introitus publici, nuptiarum, baptiſmi, exequiarumue cauſa inſtituta, nec non in itineribus ſolennibus domini, *Ehrenzügen*, ad inueſtituram imperialem, ad electionem et coronationem, ad comitia publica vel ad aliorum principum ſolennitates. *Io. Ge.* CRAMER *de iure principum ac procerum Germaniae ſeruitia aulica a vaſallis nobilibus exigendi* §. 7. 8. *Chriſt. Gottl.* BVDER in *amoenit. iur. feud. c.* 23. *p.* 164. *Frid. Car. von* MOSER *Teutſches Hofrecht tom. II. p.* 172.

(*b*) Ex obſeruantia pro *iure domini* reſponderunt ICti apud WERNHERVM *obſ. for. Part. I. obſ.* 77. et in *Conſil. Hallenſ. tom. I. lib.* 3. *n.* 50. *p.* 668. Conf. *Andr.* KOHL *de ſeruit. feud. Part. IV. n.* 99. *ſ.* CRAMER *l. c.* §. 13. *Dau. Ge.* STRVBEN *de veſtitu vaſallorum*, *in parergis Gottingenſibus lib.* 3. *obſ.* 9. *p.* 167.

§. 243.

Eodem pertinent II. SERVITIA IVDICIALIA, *quibus partes iurisdictionis feudalis, in certa cauſa a domino demandatae, in iudicio feudali explicantur.* In ordinanda *curia parium* domino competit ius, euocandi vaſallos ad curiam, ad partes vel *aſſeſſorum* (*a*) vel *iudicis curiae* (*b*) obeundas.

(*a*) IVS FEVD. SAX. *cap. IV. Der Man ſoll ouch ſime Herren dinen dar met, daz er ime Vrteil vinde zu Lehn-Recht. Auct. Vet. de benef. c. I.* §. 16. *Io. Iac.* MASCOVIVS *de paribus curiae* §. 7.

(*b*) veluti in cauſa inter dominum et vaſallum. *Ius feud.*

feud. Alem. c. 120. Vid. *obſ. iur. feud. XI. de iudice curiae feud. ʃ.* 4. 5.

§. 244.

Seruitia non militaria *conuentionalia* nata maxime ſunt increſcente feudorum vſu, totque *miniſteriis* in *feuda* conuerſis (§. 18.). Conſiſtunt tam in ſpecialibus *officiis* quam in *praeſtationibus* intuitu feudi vi conuentionis obeundis: ab iisque feuda ipſa tum *ſpecialibus* nominibus, tum *generali* nomine *der bedingten Lehen* diſtincta ſunt (*a*); *impropria* quidem omnia, ſed non niſi ratione ſeruitiorum, *non militarium* (*b*).

(*a*) *a Dingen*, paciſci. Solent quoque appellari *conditionata* feuda ob verba *II. F.* 2. *ſi dicatur feudum ſub tali conditione*, h. e. pacto, *dediſſe, vt vaſallus in feſtiuis diebus vadat. II. F.* 75. 89. 104. *Ioſ. Ant.* SCHWILGE *de feudo conditionato* apud IENICHEN *in th. iur. feud. tom. II. p.* 83.

(*b*) *Ius feud. Alem. c.* 113. *ein recht Lehen muſs man mit Mannſchaft emphahen.*

§. 245.

I. Feuda, *quorum intuitu vi ſpecialis conuentionis miniſterium publicum in vtilitatem domini obeundum eſt*, Germanis *feuda* AMBACTAE (*a*) vocantur, et Longobardis *feuda* GASTALDIAE. Quae quamquam *militaribus* ſeruitiis non ſint obnoxia: *maſculina* tamen eſſe praeſumuntur ex natura *miniſterii*, a maſculis obeundi.

 (*a*) A

(a) A voce *Ambacht*, officium denotante, perinde vt *Gastaldus* praefectum designat. Sunt enim Longobardis *Gastaldi* regii ministri, procuratores, oeconomi, curtibus regiis praefecti. MVRATORIVS *Antiquit. Ital. tom. I. diss. X. p.* 523. *Io. Gottl.* GONNE *de feudo Gastaldiae* §. 11. *f.* Inter hos alii *simplices officiales* fuerunt I. F. 2. alii *vasalli* inuestiti *bonis* ob *Guastaldiam* seu *praefecturam* vel *guardiam*. I. F. 4. §. 3. II. F. 94.

§. 246.

Ad eminentiora illorum exempla pertinent feuda *palatina*, *Hof-Lehn*, quorum intuitu determinata ministeria aulica debentur (*a*). Hoc sensu non ipsum *aulae officium* (§. 60.), sed alia bona in feudum dantur sub *lege*, *officium* exhibendi (*b*). Quae inde debentur aulae ministeria, hodie non aliter praestantur, quam si sint a domino in eximiis aulae solennitatibus *indicta*, cum ordinariae aulae functiones per alios sint occupatae. Ceterum et feuda palatina *masculina* esse praesumuntur (*c*).

(a) *Christ. Gottl.* BVDER *de feudis officialium hereditariorum procerum et Prouinciarum Germ. c. I. et III.* SCHEIDT in *obs. ad Moseri Braunschweig-Luneb. Staats-Recht p.* 236.

(b) *Ius feud. Alem. c.* 113.

(c) Conf. *Sententia* HENRICI *Regis de* a. 1230. in *Frid. Ern.* KETTNERI *antiquit. Quedlinburg. p.* 219. LVDOLF *symphor. tom. I. p.* 59.

§. 247.

Solent etiam II. feuda conſtitui ſub lege, *certas praeſtationes* vel *ſingulis annis* vel in *caſibus determinatis* domino ſoluendi, veluti vt *equus feudalis* ad expeditionem, *Lehn-Pferd* (*a*), vel *eſculenta* et *potulenta* tempore definito exhibeantur (*b*), vel *annuus cenſus* praeſtetur, quae inprimis *cenſualia* dicuntur. Vt feudum cenſuale ſit, id *conſtitutum* eſſe oportet ſub lege annui cenſus praeſtandi: eoque nomine improprium eſt (*c*). Vnde ſi ex feudo militari *ſeruitiorum redimendorum* cauſa *annuus cenſus* ſoluitur (§. 237.), feudum non ſit cenſuale (*d*).

(*a*) *Henr.* COCCEII diſſ. *de eo quod iuſtum eſt circa ruſticos in materia feudali c. III. §. 16. Henr.* HILDEBRAND *de equo ſequelae et de equo equeſtri et feudali c. III.*

(*b*) *Ge. Frid.* DEINLINI obſ. *de feudo Culinario* in IENICHEN *theſ. iur. feud. tom. II. p.* 89. *Immanuel* WEBER *de inueſtituris et ſeruitiis feudalibus ludicris.*

(*c*) *Ius feud. Alem. c.* 29. *et* 110. ibique SCHILTERVS. LEYSERVS *de feud. Brunſuic. §.* 47. *I. Rud.* ENGAV *de feudis Burſaticis* ap. IENICHEN *l. c. t.* 1. *p.* 1069.

(*d*) *II. F.* 40. *Ius feud. Alem. c.* 67. *Brandenburgiſche Aſſecuration vor die Ritterſchaft de d.* 30. *Iun.* 1717. in *Chriſt. Ott.* MYLII *Corp. Conſt. March. Part. II. Sect. V. p.* 93.

§. 248.

Cum iura et obligationes inter dominum et vaſallum *conuentione* et *iure* ac *obſeruantia feudali*

 de-

definiantur: domino, *qua tali*, ius non eſt alias *praeſtationes* a vaſallis exigendi, quam conuentione et iure probatas (*a*). Ab his diſtinguenda ſunt ea, quae a vaſallis, tamquam a *Landſaſſiis* et *ſubditis*, iuxta formulam prouinciae exigi poſſunt, veluti collectae pro elocatione filiarum, *Fräulein-Steuer* (*b*).

(*a*) WERNHER *Part. V. obſ.* 60. *et* 69. BVDER *de collectis charitatiuis ad ornandum et iuuandum dominum dir.* in Symmict. obſ. lib. 2. obſ. 2.

(*b*) *Petr.* TORNOVIVS *de feudis Mecklenb. P. I. p.* 344. *Caſp.* ZIEGLER *de iure exigendi collectas ad elocationem filiarum. Ahaſu.* FRITSCHIVS *de dotatione filiae principis et in ſpecie de collectis maritagii.*

CAP. IV.

CAP. IV.

De iuribus vasalli ex feudo constituto in genere.

ARGVMENTVM.

§. 249. *Ius vasalli tum erga Dominum*
250. *tum in feudum ipsum.*
251. *Speciatim tum in vsum et fructum feudi,*
252. *de quo per quamlibet conuentionem disponendi ius est,*
253. *tum in Proprietatem feudi, restrictam per dominium directum,*
§. 254. *nec non, quoad exercitium, per ius succedendi aliorum.*
255. *Ius feudum refutandi.*
256. *Vasallo competunt remedia iuris* 1) *iudicialia,*
257. *in specie ratione iuris, de euictione agendi,*
258. 2) *remedia iuris extraiudicialia.*

§. 249.

Iura vasalli, ex feudo constituto oriunda, vel *personam domini* concernunt vel *feudum ipsum.* Ad illa pertinet ius a domino exigendi reciprocam *fidelitatem* (*a*): qua tum officium in *vasallo non laedendo* continetur, tum *officium protectionis,* quo efficitur, vt iura vasalli intuitu feudi illaesa permaneant.

(*a*) II. F. 6. in f. ibi: *Dominus quoque in his omnibus vicem Fideli suo reddere debet.* Conf. II. F. 47. PISTORIVS in *paroem. iur. cent. X. par. 2.* HERTIVS *lib. 2. paroem. 24.* *Philipp.* KNIPSCHILD informatio

 de

de obligatione domini vaſalli, *oder kurzer Bericht, was ein Lehnherr ſeinem Lehnmanne zu thun ſchuldig P. I. qu.* 1. 2.

§. 250.

Vi dominii vtilis vaſallus gaudet tum *pleno iure vtendi et fruendi* re infeudata, tum eius *proprietate* reſtricta (*a*), et vi illius *ciuili* poſſeſſione (*b*).

(*a*) *II. F.* 8. *pr. II. F.* 23.

(*b*) *II. F.* 7. *ſ. vlt. II. F.* 8. *ſ. vlt. II. F.* 26. *ſ.* 14. Recte *ciuilis* dicitur poſſeſſio, cum iure *dominii vtilis* competat; licet *naturalem tantum* eſſe exiſtimet STRVVIVS *S. I. F. cap.* 12. §. 2.

§. 251.

Solius vaſalli ius eſt vi dominii vtilis omnem omnino ex feudo *vtilitatem*, fructusque ciuiles et naturales, ordinarios et extraordinarios percipiendi, ſuosque faciendi pleno iure (*a*). *Domini directi* vero ius nullum eſt in vſu et fructu feudi *concurrendi*, niſi ipſi ſit ſpeciatim reſeruatum.

(*a*) *II. F.* 23. *II. F.* 28. *ſ.* 3. STRVVIVS *l. c. c.* 12. *ſ.* 3. *ſ. Gabriel* SCHWEDER *de fructibus feudi ſ.* 7. *ſ.*

§. 252.

Ex quo conſequitur, vt de vſu et fructu feudi vaſallus poſſit per *quamcunque conuentionem* diſponere, ac proinde feudum *locare* etiam in longius tempus (*a*), in eoque *vſumfructum* conſtituere in ſui

ſui et deſcendentium praeiudicium (*b*). Nec femina feudum, ſibi conſtitutum, marito in *dotem inferre* impeditur, ſoluto matrimonio vel ipſi vel his reſtituendum, ad quos iure ſucceſſionis pertinet (*c*).

(*a*) *II. F.* 9. *Ge. Ad.* SCHVBERTH *de iure locandi vaſallorum.*

(*b*) *II. F.* 23. Nexus feudalis ergo non impedit, quo minus *vſuifructui legali* in feudo locus eſſe poſſit. *Auguſtin. de* BALTHASAR *de vſufructu paterno in feudis filiorum familias inprimis quoad feuda Pomeraniae.*

(*c*) *II. F.* 13. 17. *Paul. Chriſtoph.* SCHROEDERI diſſ. *de feudo ab vxore marito in dotem dato.*

§. 253.

Proprietas feudi non minus *iure feudali* reſtringi poteſt, quam *contractu feudali. Iure Longobardico* proprietas feudi reſtricta eſt QVOAD IVS IPSVM, cum vaſallo *ademta* ſit *facultas alienandi rem infeudatam* (*a*). Diſpoſitio de feudo, his aduerſa, tamquam *non iure* ſuſcepta, *illicita* et *nulla* eſt, nec licita fit niſi ex domini *permiſſione.*

(*a*) *II. F.* 55. *pr.*

§. 254.

Proprietas feudi RATIONE EXERCITII TANTVM reſtringitur *per contractum feudalem*, vt videlicet exerceri nequeat in *praeiudicium eorum*, qui *ex contractu feudali ius habent* in eodem feudo (*a*). Hinc diſpoſitio de feudo ex ea parte, qua

ver-

vergit in horum praeiudicium, non quidem *nulla*, ſed *horum intuitu* tantum *inualida* eſt: adeo vt ne quidem *cum domini conſenſu* valide ſuſcipiatur in *praeiudicium agnatorum* (*b*). *Valida* redditur accedente eorum conſenſu. Quo neglecto, ab his non modo *impugnari* poteſt *veniente ſucceſſionis caſu;* verum etiam *re integra* implorato iudicis auxilio *impediri* (*c*).

(*a*) *II. F.* 8. §. 1. *Meliorem namque conditionem feudi facere poteſt: deteriorem vero ſine domini voluntate vel eorum agnatorum, ad quos per ſucceſſionem pertinet, facere non poteſt.* Ius de feudo diſponendi non reſtringitur per *euentualem inueſtituram* vel per *expectatiuam* ſine *vaſalli conſenſu* datam. *Dau. Ge.* STRVBEN *Rechtliche Bedenken tom. I. obſ.* 9. *p.* 213.

(*b*) *II. F.* 39. *pr.*

(*c*) B. Parens in diſſ. *de iure futuro cap. II.*

§. 255.

Quoad proprietas feudi neque *quoad ius ipſum*, neque *ratione exercitii* circumſcripta eſt, vaſallo *ius liberum* eſt de feudo diſponendi (*a*). Permiſſum ergo eſt vaſallo, *refutare feudum*, hoc eſt, *eodem ſponte coram domino ſe abdicare.* Refutatio feudi, *I. ſimpliciter* et *bona fide* facta, *valida* et *licita* eſt, inuito etiam domino (*b*): quamquam in *praeiudicium ſucceſſorum feudalium* non valeat (§. 254.). Sin II. fit in *fauorem tertii*, ea videlicet lege, *vt feudum* tertio conferatur: diſtinguendum eſt, vtrum fiat *in fauorem extranei*, quae non niſi

ex

ex domini consensu et agnatorum vim et valorem sortitur (*c*); an vero *in fauorem successoris feudalis*, quae *domini consensu* quidem non indiget, bene tamen *agnatorum proximiorum* consensu, quatenus fit in *agnatum remotiorem* (*d*).

(*a*) *II. F.* 28. §. 2.
(*b*) *II. F.* 38. *I. F. A. c.* 5. *Aurea Bulla c.* 14.
(*c*) *I. F. A. c.* 21. *c.* 69. *Io. Otto* TABOR de *refutat. feudi. Christ. Gottl.* BVDER de *resignatione dominii in feudo.*
(*d*) *II. F.* 14. *I. F. A. c.* 70. *Carol. Gottl.* KNORRE *de refutatione poenae nomine imperata.*

§. 256.

Ad tuendum et persequendum dominium feudi vtile vasallo competunt *remedia iuris*, tam iudicialia, quam extraiudicialia; modo iisdem *bona fide* vtatur nec contra ius Domini successorumque feudalium. Habet I. remedia *iudicialia*, ius de feudo *agendi* et *excipiendi (a)*; ius *vindicandi* feudum a quolibet possessore (*b*), etiam a Domino; nec non ius experiendi aliis remediis tam *petitoriis* quam *possessoriis* (*c*). Quidquid remediis iuris, *bona fide* in curia feudali institutis, iudicatum fuerit, valet etiam *contra dominum* et *successores feudales (d)*.

(*a*) II. F. 43. *Si controuersia inter vasallum et alium de beneficio fuerit, aduersario proprietatem totius vel partem vel aliud aliquod ius sibi vindicante, causa per vasallum etiam domino absente quasi propria ad finem per-*

perducatur. Ipse enim solus vtiliter agendi et excipiendi habet potestatem.

(*b*) II. F. 8. pr. *Rei autem per beneficium inuestitae vasallus hanc habet potestatem, vt tamquam dominus possit a quolibet possidente sibi quasi vindicare.*

(*c*) II. F. 22. §. 1.

(*d*) *II. F.* 43. *Si pro eo aut contra eum iudicatum fuerit, vel cum aduersario transegerit, dummodo fraudulenter actum non sit, etiamsi post beneficium aperiatur domino, tale erit, ac si eo causam agente iudicatum fuisset, et ideo ab eo ratum haberi oportet.* II. F. 26. §. 21. *Gothofr.* BARTH *de libera vasallorum litigandi potestate §.* 2. *f.* inter *differt.* eius edit. a *Gebauero p.* 836.

§. 257.

Feudo *euicto*, vasallo ius est, euictionis praestationem petendi a Domino (*a*), modo causam acquisitionis habeat ab *ipso domino* (*b*). Si enim acquisitum est *ab alio*, domino tantum *consensum* et *inuestituram* impertiente; aduersus dominum agere de euictione non potest. Ceterum quae in omni euictionis praestatione secundum *ius commune* desiderantur, ponenda etiam sunt, vbi de *feudo euicto* agitur, scilicet, vt vasallus rem alienam sibi in feudum dari *ignorauerit*, vtique domino *litem denunciauerit* (*c*).

(*a*) II. F. 8. pr. II. F. 25. *Vt dominus vasallo eiusdem aestimationis quod erat tempore rei iudicatae feudum restituat, vel nummos in feudum dandos numeret. Ern. Frid.* SCHRÖTER *de euict. rerum feudalium. Io. Gottl.* GONNE *de euictione feudi oblati.*

(*b*) In II. F. 25. ponitur, dominum esse *auctorem* vasalli, qualis dicitur is, a quo res titulo dominium trans-

translatiuo acquisita est. Circa titulum *onerosum* vel *lucratiuum* iure feudali non distinguitur, cum ipse contractus feudalis titulum onerosum constituat. STRVVIVS in *Synt. iur. feud. p.* 192. Diss. *Frid. Car.* BVRI ad *Schilterum p.* 464.

(c) *II. F.* 25. *Dau. Ge.* STRVBEN *Rechtl. Bedenken tom. I. N.* 112. *p.* 261.

§. 258.

Sed competunt non minus vasallo II. *remedia iuris extraiudicialia*, ius de feudo eiusque iuribus bona fide *transigendi* (*a*), nec non in *arbitrum* compromittendi, etiam irrequisito Domini consensu (*b*). Quidquid transactione et laudo arbitrorum definitum est, etiamsi ad feudum diminuendum pertineat, firmum et ratum est inter paciscentes, saluo tamen *iure Domini* et *successorum feudalium*, si hoc possit probari.

(*a*) *II. F.* 26. *§.* 21. *II. F.* 43. vid. not. *d. §.* 256. *Ge. Melch. de* LVDOLF *obs. Cam. tom. I. obs.* 92. *p.* 227.

(*b*) *II. F.* 15. *II. F.* 34. *II. F.* 46. STRVV *l. c. c. XII. §.* 8. *Christ. Lud.* STIEGLITZ *de potestate arbitri, in litibus feudalibus sumendi, vasallis concedenda §.* 21. *f. Gothofr.* BARTH *l. c. §.* 5. 6. *p.* 843. *de* LVDOLF *obs. for. obs.* 92. *p.* 227.

CAP. V.

CAP. V.

De iure vaſalli circa alienationem feudi.

ARGVMENTVM.

§. 259. I. *De alienatione feudi in genere* a) *intuitu domini. Haec, in ſenſu ſtricto accepta, illicita eſt ſine eius conſenſu in extraneum,*

260. *licita in perſonam in inueſtitura comprehenſam.*

261. *Iuris Germ. ſententia.*

262. *In ſenſu generali accepta, ſine domini conſenſu valida non eſt in ipſius praeiudicium,*

263. *exemplo ſeruitutum et emphyteuſeos.*

264. *Quando feudum libere alienari queat?*

§. 265. *Limites huius facultatis.*

266. b) *intuitu ſucceſſorum feudalium, quorum conſenſus requiritur.*

267. *Ius conſentiendi Domini et ſucceſſorum liberum.*

268. II. *ſpeciatim de legitima conſtitutione hypothecae feudalis.*

269. *Non continetur ſub hypotheca tacita vel iudiciali.*

270. *Vis hypoth. feudalis.*

271. *Hypotheca feudalis ratione creditoris iure allodii cenſetur.*

§. 295.

Progredimur ad ius vaſalli circa *alienationem feudi*, prout vel lege vel contractu feudali circumſcripta eſt (§. 253.). Accipitur vero vel in ſenſu *ſtricto*, vel in *latiori*. I) In ſenſu *ſtricto* continet *translationem dominii vtilis feudalis in alterum:* eique ſimilis habetur *traditio feudi in pignus*. Hoc ſenſu vaſallus feudum eiusue partem ſine *permiſ-*

ſione

ſione Domini in *extraneum* alienare prohibetur per conſtitutionem LOTHARII II. et FRIDERICI I. Alienatio feudi ergo, absque conſenſu domini a vaſallo ſuſcepta, *illicita* et *nulla* eſt (§. 253.).

(*a*) Quatenus *olim* permiſſum fuerit vaſallo, feudum alienare ſine domini conſenſu, patet ex I. F. 13. II. F. 9. II. F. 44. *Negatum* id vaſallo et *ademtum* eſt conſtitutione LOTHARII II. II. F. 52. et FRIDERICI I. II. F. 55. pr. *Chriſt.* THOMASIVS *de cauſis prohibitae alienationis feudi* §. 10. inter *ſelecta feudalia tom. II. p.* 181. De alienatione in *ſenſu ſtricto* eoque *proprio* accepta ibidem ſermonem eſſe, patet ex II. F. 55. pr. vbi nominatim prohibitum eſt, feudum eiusue partem *vendere*, vel *pignorare*, vel *quocunque modo distrahere* ſeu *alienare*, vel *pro anima iudicare*, hoc eſt, *teſtari* ſine permiſſione Domini feudi. Idem *II. F.* 42. *in f.* dicitur de *venditione*, et *omnibus alienationibus*, venditioni videlicet ſimilibus, hoc eſt, in *ſtricto ſenſu* acceptis.

§. 260.

Prohibita feudi alienatio non pertinet ad alienationem feudi in perſonam, *ſub inueſtitura* comprehenſam (§. 111. 120. 156.). Haec permiſſa eſt vaſallo, etiam inſcio Domino (*a*): nec inualida redditur, niſi quatenus vergit in praeiudicium *proximiorum ſucceſſorum* (§. 254.).

(*a*) *I. F.* 13. §. 3. *II. F.* 3. §. 1. *II. F.* 39. *Ius Caeſareum art.* 23. *et* 26. MEVIVS *Part. VII. dec.* 247. WERNHER *obſ. for. Part. II. obſ.* 368. de PVFENDORF in *animadv. iur. N.* 22. Iure particulari conſenſus domini deſideratur, ſed non ſub poena. vid. *Transactio publica Megapolitana de a.* 1755. §. 452.

§. 261.

Obſeruari meretur, *moribus Germanorum antiquis* vaſallo non tam *ademtum* eſſe ius alienandi feudum in extraneum, quam potius, *ratione exercitii*, reſtrictum ad Domini conſenſum; ne inuitus agnoſcere teneretur alium vaſallum (*a*). *Invalida* ſine eius conſenſu eſt feudi alienatio: non vero *illicita*, nec poenae ſubiecta. Sed *introducto iure Longobardico* (*b*), alienatio *feudorum priuatorum* ex eo iudicari coepit (*c*).

(*a*) *Ius feud. Alem. c.* 21. *et* 26. *Ius Caeſareum art.* 23. 26. 27. 28.

(*b*) Ex eo iam a. 1290. ſententiam dixit RVDOLPHVS Habsburgicus in cauſa Abbatis *Werthinenſis*, quod *feuda ſine domini conſenſu alienata ad manus domini deuoluantur*, apud *Nic.* SCHATENIVM *Annal. Paderb. Part. II. p.* 169.

(*c*) Superſunt tamen paſſim eius iuris reliquiae, vt in *Transactione publica Megapolitana de a.* 1755. §. 451. 472.

§. 262.

II. Alienatio feudi in *ſenſu latiori* accipitur, quando, *ſaluo nexu feudali*, *ius in re alteri conſtituitur in feudo.* Haec non quidem quoad *ipſum ius* alienandi, ſed tantum *ratione exercitii*, adſtricta eſt ad *conſenſum domini:* ideoque ſine eius conſenſu peracta, ex ea parte tantum *inualida* eſt, qua vergit in *ipſius praeiudicium* (*a*) (§. 254).

(*a*) II. F. 8. §. 1.

§. 263.

§. 263.

Poteſt ergo vaſallus iure ſuo *vſumfructum* et *ſeruitutes* in ſui ſuorumque deſcendentium praeiudicium feudo imponere (*a*), partemque feudi in *emphyteuſin* dare, irrequiſito etiam domini conſenſu (*b*). Sed feudo aperto, *exſpirat* ſeruitus et emphyteuſis, ſine domini conſenſu conſtituta.

(*a*) *II. F.* 8. pr. *Quid ergo ſi pretio vel dolo aut incuria ſeruitutem rei beneficiariae imponi patiatur, et ad dominum ex qualibet cauſa poſtea beneficium reuertatur: an ex eo praeiudicium domino generetur, quaeſitum fuit. Et reſponſum eſt, vt vaſallo quidem, donec feudum tenet, poſſit obeſſe: domino autem etſi per longa tempora perſeuerauerit, ſeruitus minime noceat.* HORNII *I. F. cap. X. §. 6. Io. Gottl.* SIEGELII diſſ. *de vera ſeruitute a ſolo vaſallo feudo impoſita.*

(*b*) FRANZKIVS *de laudem. cap. X. n. 70. ſ.* WERNHER *obſ. for. Part. VII. obſ.* 141. 142. *Io. Frid.* WESELIVS in diſſ. *an Moribus vaſallus ſine domini et agnatorum conſenſu quasdam feudi particulas ſubditis ſuis in emphyteuſin dare valeat?* Altorf. 1736.

§. 264.

Quaecunque iure feudali circa *alienationem feudi* diſpoſita ſunt, ad *naturalia feudi* pertinent (§. 37.): ac proinde mutari et tolli poſſunt tum in ipſa *feudi conſtitutione*, tum ex iure *particulari* curiae feudalis. Oritur inde feudum ALIENABILE, *quod absque ſpeciali domini conſenſu alienari poteſt in extraneum:* quae alienandi facultas vaſallo vel vi *pacti in inueſtitura adiecti* tribui poteſt (*a*), vel ex *iure feudali particulari.*

 (*a*) *II.*

(a) *II. F.* 26. *ſ.* 23. *II. F.* 48. *ſ.* 2. *Ge. Adolph.* SCHVBERTH *de valida feudi absque domini conſenſu a vaſallo facta alienatione.*

§. 265.

Ius alienandi, quod intuitu feudi alienabilis competit, exercendum eſt intra *limites* per *literas inueſtiturae*, per *obſeruantiam* curiae feudalis (a) et per *naturam feudi* conſtitutos. Quocirca feudi alienatio ineunda eſt *ſaluo* ſemper *dominio directo*, nec *alia lege*, quam qua *ipſe vaſallus* feudum habet, nec in *alium*, quam in *feudorum capacem* (b). Sub *facultate alienandi* vero comprehenſa non eſſe praeſumitur facultas de *feudo teſtandi*, niſi et hanc datam eſſe appareat (c).

(a) In Luſatiae feudis facultas alienandi vaſallo datur in defectu liberorum et praeuio experimento integrae ſanitatis, *dem Vorrit. Wolfg. Ad.* de LEIBNITZ *de alienatione feudorum Luſatiae Super. Sect. II. ſ.* 4. *Sam.* STRYK *de feudis Luſatiae Superioris. Io. Petr.* de LVDEWIG in *differentiis iuris feud. communis et Luſat. diff.* 16.

(b) WERNHER *obſ. for. P. VII. obſ.* 467.

(c) THOMASIVS *de feudo alienabili ſ.* 26. HORN *I. F. cap. XIV. ſ.* 4. Diſſ. STRYK in *cautel. teſtam. c.* 6. *membr.* II. §. 12.

§. 266.

Ceterum alienatio feudi, ſiue in *generali* ſiue in *ſpeciali ſenſu* accipiatur, *ratione exercitii* adſtricta ad *conſenſum* eorum, ad quos feudum vel ex *in-*

veſtitu-

uestitura maiorum vel ex *simultanea inuestitura* deuolui potest (*a*); non vero ad consensum eorum, ad quos vi *expectatiuae* vel *inuestiturae euentualis* peruenit (*b*), nisi haec data sit *ex vasalli consensu* (§. 169.). Itaque *distractio feudi*, ex consensu domini *licite* peracta, sine consensu successorum feudalium *inualida* est in eorum praeiudicium; et *ius reale* in feudo, sine eorum consensu constitutum, exspirat, feudo ad eosdem deuoluto.

(*a*) II. F. 39. *Alienatio feudi paterni non valet etiam Domini voluntate, nisi agnatis consentientibus, ad quos feudum quandoque sit reuersurum* II. F. 3. §. 1. In alienatione *stricte* sic dicta obseruandum est diuersum fundamentum *consensus Domini*, a quo impetrandum est *ius alienandi*, et *consensus successorum feudalium*, qui requiritur, vt valeat alienatio in *eorum praeiudicium*.

(*b*) *Dav. Ge.* STRVBEN *Rechtl. Bedenken tom. I. N.* 89.

§. 267.

Ius consentiendi Domini et successorum feudalium in feudi alienationem *liberum* est, nec ad *consentiendum* datur *obligatio* (*a*): nisi haec ex *speciali ratione* descendat, veluti ex *pacto* et ex *literis reuersalibus* (*b*), vel ob *aes alienum* feudo inhaerens, vel ex *speciali obseruantia* (*c*).

(*a*) *Ius feud. Alem. cap.* 21. STRVVIVS in *S. I. F. cap.* 13. *§.* 19. B. Parens *Consult. et Decis. tom. III. P.* I. *resp.* 178.

(*b*) *Lud.* MENCKEN *de feudo ex pacto cum simultanee inuestitis alienabili. Io. Gottl.* SIEGEL *de literis feudi reuersalibus a simult. inuestitis exhibitis §.* 20.

(c) MOSER *von der Teutschen Lehnsverfassung p. 822.* *Ge.* ENGELBRECHT *de singularib. feud. Mecklenburg. iuribus Sect. II.* §. 18.

§. 268.

Species *alienationis feudi*, in *sensu generali* acceptae, est HYPOTHECAE CONSTITVTIO IN FEVDO. Vt *plenum* effectum habeat, et in ipsa *feudi substantia* constituatur, *domini* non minus quam *successorum feudalium* consensus ad eam necessarius est. Itaque 1) hypotheca a vasallo ex *domini* consensu quidem sed *sine successorum feudalium* consensu constituta, valida quidem est intuitu *vasalli* et *domini*, sed non intuitu *successorum feudalium* nec in horum *praeiudicium* (*a*): 2) *sine domini consensu* constituta, intuitu *ipsius* inualida est (§. 262.): quamquam 3) valida sit, quoad *fructus feudi*, in praeiudicium tum *vasalli* eam constituentis eiusque *descendentium*, tum *successorum feudalium* in eam *consentientium* (*b*).

(*a*) *II.* F. 8. §. 1. *II. F.* 39.

(*b*) HORN *I. F. cap. XIV.* §. 3. B. Parens *de hypotheca feudali expressa c. II.* §. 16. 18. *Io. God.* BAVER *de hypotheca feudali absque consensu agnatorum et simultanee inuestitorum subsistente* §. 19.

§. 269.

Cum hypotheca *in ipsa feudi substantia* constitui nequeat sine *domini* consensu: 1) feudum nec

hypothe-

hypotheca tacita obſtringitur (*a*), niſi et hanc *Domini conſenſu* comprobatam eſſe appareat, nec 2) hypotheca, coram *iudice ordinario* conſtituta (*b*); cum confirmatio iudicialis *conſenſum domini* non inuoluat, ſed hunc in *curia feudali* dari oporteat: 3) conſenſu domini in eam ad *determinatum tempus* adſtricto, hypotheca vltra hoc tempus non valet, eoque effluxo perit, niſi creditor ex ea *iam agere* coeperit, vel eius *renouatio* aut *prorogatio* impetretur (*c*); 4) ſub hypotheca bonorum *generali* non continetur *hypotheca feudalis* (*d*).

(*a*) *Ludolph.* SCHRADER *de feudis Part.* 8. *c.* I. *n.* 23. *I. Gottl.* SIEGEL de problem. *an hypotheca tacita in feudo debito feudali contrahatur? Sam.* STRYK *de hypotheca tacita in feud. Germ. c.* II. HOMMEL *obſ.* 240.

(*b*) B. Parens *l. c. cap. I.* §. 5. WERNHER *obſ. for. P. II. obſ.* 467.

(*c*) HERTIVS *de iuribus ex pacto certo tempori incluſis Sect. III.* §. 9. *Ge. Adolph.* SCHVBERTH *de conſenſu temporario domini directi in hypothecam feud. Caſp. Ach.* BECK *de conſenſu feudali* §. 49. 50. de PVFENDORF *tom. IV. obſ.* 262. STRVBEN *Rechtl. Bedenken tom.* 2. *N.* 96.

(*d*) *II. F.* 26. §. 17.

§. 270.

Hypotheca, conſenſu *domini ſucceſſorumque feudalium* in feudo conſtituta, vi omni pollet, quam habet ex *iure communi.* Itaque 1) ex ea datur *actio hypothecaria* ad ius hypothecae in feudo non modo aduerſus *vaſallum debitorem*, verum etiam

feudo ad *successores feudales* deuoluto, vel ad *dominum* reuerso, aduersus hos, tamquam *possessores hypothecae*, persequendum, saluo tamen his, peraeque ac cuilibet tertio possessori, *beneficio excussionis* (*a*), si debitor eiusue heredes allodiales adhuc sint soluendo: 2) vi eiusdem peti potest *distractio feudi*, hypotheca obligati (*b*); nisi *vis hypothecae* vel iure *particulari* (*c*) vel *obseruantia speciali* (*d*) eatenus restricta sit, vt solutio debiti ex *fructibus feudi* tantum haberi possit.

(*a*) *Nou. IV. c.* 2. *Nou. CXII. c. I. §.* 3. *Auth. Hoc si debitor C. de pignor et hyp. Auth. Sed hodie C. de obligat. et Act.* WERNHER *obs. for. P. I. obs.* 130. STRVV. in *Synt. iur. feud. c.* 14. *§.* 24. LVDOLF *obs. for. P. III. obs.* 294. *p.* 469. BOCRISIVS *in obs. feud. obs.* 26. 27. B. Parens *tom. III. cons. et dec. P. I. resp.* 180. 181. Iure *Sax. Electorali successores feudales*, aeque ac *dominus directus*, beneficio *ordinis* non fruuntur. CARPZOV. *P. II. C.* 46. *def.* 7. *Petr.* HEIGIVS *P. II. qu.* 20.

(*b*) BERGER *disceptat. forens. tom. I. p.* 1256. B. Parens *de hypotheca feud. c. II. §.* 11. MEVIVS *P. IV. dec.* 194. *P. V. dec.* 364. BAVERVS *l. c. §.* 25.

(*c*) De feudis *Bohemiae* vid. rescriptum LEOPOLDI *de a.* 1692. in LVNIGII *Corp. iur. feud. tom. II. p.* 210.

(*d*) de qua vid. GAIL. *lib. I. obs.* 117. *n.* 7. *Io. Frid.* KOBIVS *de pecunia mutuat. tuto collocanda c.* 7. *§.* 99.

§. 271.

Hypotheca, in feudo legitime constituta, ad iura *creditoris* pertinet a *nexu feudali immunia*.

Hinc

Hinc non modo tranſit in *heredes* eius *allodiales;* verum etiam a creditore alteri *cedi* poteſt ſine *domini* non minus quam ſine *vaſalli debitoris* conſenſu (*a*).

(*a*) *Obſeru.* meae *feud. obſ. XIII. de ceſſione hypothecae feudalis absque domini conſenſu valida. Aemil. Lud.* HOMBERGII *zu Vach* Obſeru. in ZEPERNICK *Abhandl. aus den Lehnr. tom. IV. N. XII.*

CAP. VI.

De iure domini et ſucceſſorum feudalium circa feudum alienatum.

ARGVMENTVM.

§. 272. *Ius domini circa poenam priuationis ob feudum illicite alienatum.*

273. *Quando haec poena ceſſet?*

274. *An obtineat in oppignoratione?*

275. *Ius ſucceſſorum feudalium reuocandi feudum alienatum.*

276. *Cui competat et quando?*

277. *Quo ordine et quo tempore?*

§. 278. *Ius praecipuum prae his, in quos feudum alienatur, ex iure protimiſeos et retractus.*

279. *Quoad competat Domino?*

280. *et ſucceſſoribus feudalibus?*

281. *Caſus, in quo datur.*

282. *Quo ordine competat inter agnatos?*

283. *Quid iuris in colliſione iuris domini et ſucceſſorum?*

284. *Quomodo exercendum?*

§. 272.

Ius domini et ſucceſſorum feudalium circa feudum alienatum fundatum eſt vel in *iure eodem*, ex quo eorum conſenſus in alienationem requiritur, vel in *iure praecipuo*, quod intuitu alienationis ipſis competit prae his, in quos feudum eſt alienatum. I. Ob alienationem feudi, *ſtricte* ſic dictam, absque conſenſu domini *in extraneum* factam et per traditionem conſummatam (*a*), Domino datur ius vaſallum *priuandi feudo* eaque feudi *parte*, quam ſciens alienauit (*b*), eoque nomine ipſi competit IVS REVOCANDI ſeu *vindicandi* feudum alienatum a quolibet eius poſſeſſore, nullius temporis obſtante *praeſcriptione* (*c*).

(*a*) *II. F.* 42. *II. F.* 24. *§. vlt.*

(*b*) *II. F.* 55. *pr.* THOMASIVS *de cauſis prohib. alienat. feudi §.* 19. STRVVIVS *in S. I. F. c.* 13. §. 10. B. Parens *tom. III. conſult. et dec. Part. I. reſp.* 188.

(*c*) *II. F.* 55. *pr.* Admittenda tamen omnino eſt *praeſcriptio immemorialis*, vim conceſſionis habens. B. Parens *de praeſcriptione aduerſus leges prohibitiuas §.*16. *tom. V. exerc.* 83. *p.* 367.

§. 273.

Ceſſat omnino priuationis poena non modo in omni alienatione, *in ſenſu generali* accepta (§. 262.), verum etiam ſi alienatio facta eſt ſub *conditione conſenſus Domini impetrandi*, vel ſi per traditionem feudi nondum impleta eſt (*a*).

(*a*) *II.*

(a) *II. F.* 23. *§. vlt.* STRVVIVS *cap.* 13. *§.* 9. *Petr.* HEIGIVS *quaest. iuris Part. II. qu.* 18.

§. 274.

Benigniori iuris Germanici circa feudi alienationem ſententiae debetur (§. 261.), quod ob *traditionem* feudi *in pignus*, absque Domini permisſione factam, vſu fori non procedatur ad feudi priuationem (*a*).

(*a*) *Ius feud. Alem. c.* 26. *et* 155. STRYK *de caut. contr. Sect. II. c.* 4. *§.* 14. MEVIVS *P. VI. dec.* 201. *P. VII. dec.* 399. Conf. *Transactio Publica Megapolitana de a.* 1755. *Henr. Christ. de* SENCKENBERG *de feud. Brunſuic. §.* 36.

§. 275.

II. Succeſſoribus feudalibus, quibus *ius ſuccedendi* in feudo eadem infeudatione conſtitutum eſt, ob alienationem feudi, *absque eorum conſenſu* ſuſceptam, datur IVS REVOCANDI feudum, etiam nullo reddito pretio (*a*), ſimul ac ſucceſſio ipſis actu delata eſt: quippe quod nihil aliud eſt, quam *ius feudum, in ipſorum praeiudicium alienatum, iure delatae ſucceſſionis vindicandi a quolibet eius poſſeſſore* (*b*).

(*a*) *II. F.* 26. *§.* 13. *II. F.* 39. *Caſp.* ZIEGLERVS *de iure reuocandi feudum.*

(*b*) *II. F.* 8. *pr.*

§. 276.

§. 276.

Cum fundamentum huius iuris intuitu ſucceſſorum feudalium ſit *ius ſuccedendi* in feudo, *eadem infeudatione* conſtitutum, et actu *delatum* (*a*); ius reuocandi feudum alienatum datur tam *agnatis*, eadem inueſtitura cum vaſallo comprehenſis quam *ſimultanee inueſtitis* (§. 120. 156.), quibus inconſultis feudum alienatum eſt. Iisdem vero non prius competit, quam *ſucceſſione delata*, ideoque poſt obitum vaſalli eiusque deſcendentium (*b*): eidemque locus eſt, ſiue feudum *illicite*, ſiue *permittente domino*, illis *non conſentientibus*, alienatum ſit. Si itaque feudum ob illicitam eius alienationem deuolutum eſt ad dominum, ab hoc reuocari poteſt poſt obitum vaſalli alienantis eiusque deſcendentium (*c*). Ceterum eaedem iuris rationes, ex quibus id ius datum eſt agnatis, militant pro *filiis* vaſalli alienantis, ex inueſtitura maiorum ad ſucceſſionem in feudo antiquo vocatis, quoad agitur de alienatione feudi licita ſeu ex conſenſu domini peracta; nec ideo ius reuocandi feudum, iisdem inconſultis alienatum, eis ex hac ſola ratione negari poteſt, quod facta patris *intuitu allodii* praeſtare teneantur (*d*); quippe quae id tantum efficit, vt feudum, a patre alienatum, non aliter, quam *reſtituto pretio*, reuocare poſſint (*e*).

(*a*)

(*a*) I. F. 8. §. I. II. F. 26. §. 13. II. F. 39.

(*b*) *I. F.* 8. *§*. 1. *I. F.* 18. *II. F.* 26. §. 13.

(*c*) Iure Sax. feudum *illicite alienatum* mox reuocare possunt *simultanee inuestiti;* cum iuri suo in illorum fauorem renunciauerit Elector Sax. Vid. *Const. Elect. Part. II. const. XLVIII. Christ. Lud.* STIEGLITZ *de iure succedendi agnatorum in feudum alienatum viuo alienatore.*

(*d*) II. F. 45. Ad hanc rationem prouocant *Hartm.* PISTOR *quaest. iur. lib. 2. qu. 4. et qu.* 13. HORN *I. F. cap.* 20. *§.* 17. WERNHER *obs. for. P. I. obs.* 311. *Frid. Es.* PVFENDORF *obs. iur. vniu. tom. III. obs.* 146.

(*e*) Iure *antiquo* Germanico *liberis* idem ius datum est ac *agnatis.* SCHILTER ad *Ius feud. Alem. c.* 64. *§.* 6. Idem liberis in feudis *auitis* et *stemmaticis* vel *fideicommisso* obstrictis, si modo *pretium* restituere parati sint, tribuendum esse docet CRAMERVS *tom. II. obs.* 485. *tom. IV. obs.* 1220. *et in wetzl. Beyträgen p. 2. n.* 4. Hoc argumentum tractauit filius, *Iust. Lud. Bechth.* BOEHMER *de filio vasalli successore in feudum cap. III.*

§. 277.

In *exercendo* iure reuocandi feudum eadem valent, quae obtinent in successione in feudum actu delata. Pro qua *parte* igitur et quo *ordine* ius in feudo *succedendi* defertur, pro eadem parte et eodem ordine ius datur *reuocandi* feudum alienatum, ideoque *proximiore* illud repudiante, *remotiori* competit: proximiore vero in alienationem consentiente, ius *remotioris* tamdiu quiescit, donec successio ad eum perueniat (*a*). Denique eidem non nisi a tempore *delatae successionis* praescribitur XXX. annis (*b*).

(a) STRVV *S. I. F. cap.* 13. §. 17. B. Parens *Consult. et Dec. tom. I. P. II. resp.* 134.

(b) *II. F.* 9. *ʃ.* 1. LEYSER *ad Pand. ſpec.* 457. *med.* 4. De initio praeſcriptionis feudalis ex iure ſpeciali Megapolitano diſputatum eſſe, patet ex *Ge. Guſt.* GERDESII *Sammlung Mecklenb. Schriften und Urkunden Part. IX. p.* 57. Noua conſtitutio Friderici Duc. de d. 2. Dec. 1768. exhibetur in noua editione MOLLERI *diſtinct. feud.* in app. *docum. N. VI. p.* 607.

§. 287.

Alterum ius domini ſucceſſorumque feudalium circa feudum alienatum iuxta §. 272. eſt ius praecipuum, quod iis competit prae his, in quos feudum alienatione transfertur. Si feudum *licite* alienatur *interueniente pretio*, non modo *Domino* vi *dominii directi (a)*, verum etiam *ſucceſſoribus feudalibus* virtute *iuris futuri* in feudo *ſuccedendi (b)* datur tum IVS PROTIMISEOS, ſeu *ius ſingulare in caſu, ſi feudum vendatur, ius emendi praecipuum, eodem ſoluto pretio, exigendi prae aliis emtoribus*, tum IVS RETRACTVS, ſeu *ius feudum venditum et traditum virtute iuris protimiſeos ab emtore et quolibet poſſeſſore ſoluto eodem pretio repetendi.* Vtrumque ius, quoad domino tribuitur, vno vocabulo vocatur *retractus feudalis*, quoad ſucceſſoribus feudalibus, *retractus gentilitius.*

(a) *II. F.* 9. *ʃ.* 1. *Porro ſiue de praua conſuetudine quaeramus, conceſſa erat Domino pro aequali pretio redemtio; niſi hoc beneficium amiſerit per refutationem*

(conf.

(conf. §. 255.) *vel annali ſilentio, ex quo ſciuerit, computando.*

(*b*) *II. F.* 3. *ſ.* 1. *II. F.* 26. *ſ.* 13.

§. 279.

Retractus feudalis non impeditur conſenſu domini *generali* in feudi alienationem; quo tantum tribuitur facultas hoc alienandi (§. 259.). Dominus ergo eodem gaudet in feudo *alienabili* (§. 264.) et *hereditario.* Conſenſu vero domini *ſpeciali* in certam venditionem interpoſito, extinguitur (*a*).

(*a*) HORN *l. c. c.* 20. §. 10. WERNHER *obſ. for. p.* I. *obſ.* 209. *Wilh.* LEYSERI diſſ. *de iure protimiſeos. quod domino feudi competit. Leon. Lud.* MENCKE *de iure protimiſeos domino directo in quauis feudi alienatione ſecundum ius Sax. competente.* REINHARTH in *obſ. ad Chriſtinaei dec. vol. VI. obſ.* 30.

§. 280.

Retractus gentilitius datur ob ius *ſuccedendi* futurum ex eadem infeudatione competens. Hoc ergo fruuntur tum *agnati* in prima inueſtitura comprehenſi (*a*), tum *ſimultanee inueſtiti:* nec is negari poteſt *liberis* venditoris (*b*), cum in eo ne quidem agatur de impugnanda alienatione patris, ſed de iure praecipuo filii prae extraneo emtore ex lege competente. Obtinet quoque in omni feudo, etiam *alienabili* et *hereditario* (*c*).

(*a*) II. F. 26. §. 13.

(*b*)

(*b*) *Sigism.* FINCKELTHAVS *Controu. feud. disp. X. contr.* 1. HORN *c.* 20. §. 5. B. Parens *Consult. et decis. tom. I. P. II. resp.* 131. *Lud.* MENCKEN *de retractu filiorum gentilitio in feudis.* *Car. Frid.* WALCH de *iure liberorum bona a parent. acquisita retrahendi.* In textu *II. F.* 26. §. 13. filiorum alienantis mentio tantum fit ad ostendendum discrimen inter *ius reuocandi*, quod non datur *agnatis*, quamdiu filii alienantis superstites sunt, et inter *ius retractus*, quod illis datur, filiis in alienatione acquiescentibus. Dissent. *Es. Frid.* PVFENDORF *obs. iur. tom. II. obs.* 4. §. 8.

(*c*) Strvv *l. c. cap.* 13. §. 20. 22.

§. 281.

Non competit, nisi in casu, quo feudum distractum est *sine eorum consensu.* Quo vel *generaliter* vel *specialiter* interposito, alienatio *valida* redditur in eorum praeiudicium: ideoque iuri reluendi locus non est (*a*).

(*a*) II. F. 26. §. 13. *Quodsi consentit alienationi, vel per annum, ex quo sciuit, tacuit, omnino remouebitur.* *Hartm.* PISTOR *qu. iur. lib. II. qu.* 12. *n.* 49. 56. *lib. II. qu.* 7. *n.* 32. BERGERVS *discept. for. p.* 1807. *et in suppl. P. I. p.* 426. *P. II.* 759. *Io. Christianus* GEBAVER in diss. *de iure reluendi per generalem consensum simultanee inuestiti extincto* §. 8. *s.* Dissent. *Ern.* TENTZELL in diss. *de iure protimiseos simultanee inuestitis post literas reuersales de libera feudi alienandi facultate datas competente*, et *Wilh. Aug.* RVDLOFF *de consensu in alienationem feudi interposita retractum non excludente.* Butzov. 1770.

§. 282.

Quo ordine successores feudales in feudo succedunt, *eodem ordine* pollent retractu. Gaudet

eodem

eodem *proximior*, feudo *in remotiorem* alienato, vel *remotior*, ſi proximior eo vti nolit vel non poſſit (*a*). *Cedi* vero perinde, vt ipſum ius ſuccedendi, non poteſt (*b*).

(*a*) *II. F.* 3. *ſ.* 1. *II. F.* 26. *ſ.* 13. STRVVIVS *l. c. c.* 13. *ſ.* 22. HORN *cap.* 20. *ſ.* 2.

(*b*) STRYK *de iuribus et actionibus non ceſſibilibus c.* 4. §. 5. *cap.* 5. *ſ.* 8. 11.

§. 283.

In *colliſione* retractus *feudalis* et *gentilitii* ius agnatorum et ſimultanee inueſtitorum *potius* eſt iure domini (*a*), cum ipſum *ius ſuccedendi*, intuitu cuius competit, illis a domino ſit conſtitutum.

(*a*) II. F. 9. §. 1. *In redimendo potior erat proximi agnati, quam domini conditio.*

§. 284.

Retractui locus tantum eſt in alienatione *interueniente pretio* facta, ideoque in *venditione* feudi vel *datione in ſolutum* (*a*): nec efficaciter exerceri poteſt niſi *ſoluto integro pretio*, praeſtitisque reliquis, ab emtore promiſſis (*b*). Eidem exercendo praeſcriptus eſt *annus*, qui currit a tempore *ſcientiae* (*c*).

(*a*) II. F. 26. §. 13. *Ge. Adolph.* SCHVBERTH *pr. de gentilitio retractu in permutato feudo exule.*

(*b*) II. F. 3. ibi: *pro aequali pretio accipere volenti.*

(c) II. F. 9. §. 1. ibi: *annali ſilentio*, *ex quo ſciuerit*. II. F. 26. §. 13. In chartis de a. 1321. apud SCHEIDT in tr. *von Adel p.* 156. *et* 524. vocatur *impetitio*, *quae infra tempus*, *quod vulgo Iar und Dach dicitur*, *movetur*. CARPZOV *P. II. C.* 49. *def.* 8. IO. MEVIVS *P. II. dec.* 253. *P. III. dec.* 324. B. Parens *Conſult. et Dec. tom. I. P.* 2. *reſp.* 127. Feudo *ſub haſta* vendito, iure communi idem obtinet. BERGER *diſc. for. tit.* 40. *obſ.* 4. *p.* 1265. Aliud vero paſſim cauetur iure particulari. Conf. PVFENDORFII *introd. in Proc. Brunſuic. Part. V. cap.* 4. §. 19.

CAP. VII.

De iure vaſalli circa conſtitutionem ſubfeudi.

ARGVMENTVM.

§. 285. *Duplex modus conſtituendi ſubfeudum.*
286. *Subinfeudationis ratio.*
287. *Illicita non eſt ſine domini conſenſu.*
288. *Inualida tamen in huius praeiudicium,*
§. 289. *et in agnatorum praeiudicium.*
290. *Immutatio feudi in ſubfeudum.*
291. *Iura circa ſubfeudum.*

§. 285.

Subfeudum oritur tum per *ſubinfeudationem*, quae eſt conſtitutio ſubfeudi a vaſallo facta, tum per *immutationem feudi in ſubfeudum* (§. 54. 55.).

§. 286.

I. Subinfeudatio nociua non eſt Domino, cum per eam nulla ex parte mutetur obligatio vaſalli erga

erga dominum, quin potius *ſubdominium* ipſum in ſubfeudo in *nexu feudali* ſit domini ſuperioris (§. 54.). Fuit et olim Domino *proficua*, cum ad partes Vaſalli pertineret, domino adducere *ſubvaſallos* in ſeruitium *militare* vel *honorarium* (a).

(a) *Chriſt. Gottl.* BVDER in pr. *de vetuſta origine ſubfeudorum eorumque neceſſitate* §. 3.

§. 287.

Facultas ſubinfeudandi vaſallo ademta non eſt iure feudali, nec ex *rationibus iuris* pro ademta haberi poteſt, niſi per ſubinfeudationem agatur in *fraudem legis* ad tegendam videlicet *prohibitam feudi alienationem in extraneum* (§. 259.). Subinfeudatio ergo *bona fide* facta *licita* eſt etiam ſine domini conſenſu: *fraudulenta* vero *illicita* eſt, et *poenae priuationis* obnoxia (a).

(a) II. F. 3. §. 1. vaſallo *ſincere et ſine fraude hodie* h. e. poſt conſtitutionem Lotharii, *licere* dicitur, etiam ſine domini voluntate, aliquem per *feudum inveſtire*, h. e. ſubinfeudare. II. F. 26. §. 20. II. F. 34. §. 3. Conf. *Ius feud. Alem. c.* 49. 107. I. F. S. *art.* 14. 27. In II. F. 55. *pr.* non niſi fraudulenta ſubinfeudatio improbatur. *Herm.* VVLTEIVS *de feud. lib. I. c.* 10. *I. Tob.* REINHARTH obſ. *ad Chriſtinaei deciſ. vol. VI. obſ.* 14. §. 5. *Frid. Eſ.* PVFENDORF *obſ. iur. tom. III. obſ.* 140. Diſſentit, et ſubinfeudationem ſine domini conſenſu illicitam eſſe putat *Io. Ge.* ESTOR *in kleinen Schriften Tom. I. p.* 731. *et Io. Ge.* PERTSCH *de iure ſubuaſalli in ſubfeudo, feudo aperto* §. 8.

§. 288.

Subinfeudatio, etiam ſine domini conſenſu, bona fide peracta, *valida* omnino eſt intuitu *vaſalli ſubinfeudantis* eiusque heredum; non vero 1) in *praeiudicium domini.* Reſoluto *iure ſubinfeudantis*, reſoluitur ſubfeudum (*a*): nec illud dominus, feudo ſibi aperto, ratum habere tenetur, niſi conſtitutum ſit *conſenſu* ipſius, eoque vel *vero* vel *praeſumto:* qui interueniſſe praeſumitur, α) ſi ſubinfeudatio facta eſt *militi* ad *ſeruitia* praeſtanda idoneo, eademque *lege*, qua vaſallus ipſe feudum habet (*b*), vel β) ſi facta eſt de bonis, ab antiquo *ſubinfeudari ſolitis* (*c*).

(*a*) Schilter in *comment. ad ius feud. Alem. c.* 33. wernher *P. II. obſ.* 464. *P. IV. obſ.* 249. strvben *Rechtl. Bedenken Tom. I. N.* 147.

(*b*) II. F. 34. §. 3. *Si ſecunda perſona ſit talis, quae feudo ſeruire poſſit: vt ſi dans miles eſt, et ille, qui accepit feudum, inueniatur miles, ad hoc, vt feudum, ſi contigerit, domino ſimiliter ſeruire, vt et prior, poſſit.* Subuaſallo *idoneo* ſubinueſtito, Dominus conſenſiſſe *praeſumitur*, cum omnis feudorum ratio in ſeruitiis militaribus conſiſteret. Additur tamen ibidem §. 4. vt *non alia lege* datum ſit ſubfeudum, qua id habet vaſallus. Idem firmatur II. F. 9. pr. *eo excepto, quod ille, qui ſecundo loco beneficium acceperat, non amittebat, ſi priori domino ſeruire et ab eo feudum recognoſcere volebat. Vet. auctor de benef. c.* 57. 58. *I. feud. Sax. c.* 27.

(*c*) *And.* kohl *de ſubfeudis cap. vlt. n.* 91. *Hartm.* pistor *qu. iur. lib.* 3. *qu.* 42. *n.* 6. 27. Iure particulari conſenſus Domini ſimpliciter deſideratur, velvti iure *Brunſuico-Guelpherbytano*, quo nec tacitus con-

consensus agnoscitur *nisi vnico casu*, si subfeudum diu insertum sit *specificationi feudali*. PERTSCH. l. c. §. vlt.

§. 289.

Nec 2) subinfeudatio valida est in *praeiudicium agnatorum*, nisi eorumdem *consensu* firmata sit (*a*). Quo neglecto, subfeudum ab illis *reuocari* potest, *successione* in feudo ad illos *delata* (§. 274.).

(*a*) *II. F.* 39. *Herm.* VVLTEIVS *de feud. lib. I. c.* 10. *n.* 83.

§. 290.

II. Subfeudum constituitur *immutatione feudi in subfeudum* (§. 285.), dum 1) *Dominus* dominium directum alteri vel *dat* vel *offert* in feudum (*a*); id quod etiam sine vasalli consensu fieri potest, quoad fit absque ipsius praeiudicio (§. 210.) (*b*); vel 2) *vasallus* feudum alteri offert in subfeudum, hoc est, dominium vtile alteri offert in feudum, idem ab eo, ceu subdomino, recepturus: quod cum fiat sublato nexu, quo domino suo immediate obstringitur, non nisi ex *huius consensu* peragi potest (*c*).

(*a*) *Io. Fridericus Nobilis a* FREISLEBEN *de mutatione domini in subfeudis imp. absque consensu vasalli inualida.*

(*b*) *Ius feud. Alem. c.* 89. ibique SCHILTERVS. *Mich. Henr.* GRIEBNER *de subfeudorum imp. praerogatiua §.*4.

(c) *Dan.* NETTELBLADT *de oblatione feudi in subfeudum absque consensu domini inualida §. 20. s.*

§. 291.

Quae iura et obligationes Domini et vasalli sunt intuitu feudi, eadem sunt *subdomini* et *subvasalli* intuitu *subfeudi*; nisi quod ex nexu feudali, quo subdominium obnoxium est *Domino superiori*, huic iura quaedam competant, ex nexu *subordinationis* descendentia (*a*). Quamquam subvasallus vasallus sit *subdomini*, non vero *Domini superioris:* huic tamen tum obnoxius est ad praestanda *seruitia;* ad quae per subdominum euocatur (*b*), tum et cautus esse debet, ne dominum superiorem vllo modo *offendat* (*c*).

(*a*) *Andr.* KOHL *de subfeudis cap. IV. et V. Frid. Gottl.* ZOLLER de *priuilegiis feudo adhaerentibus ad subfeudum tacite non extendendis in specie circa subfeuda Lusatiae.* Lips. 1767.

(*b*) *II. F.* 55. *§.* 1. *Ius feud. Al. c.* 87. *§.* 3. 4. WERNHER *P. I. obs.* 78.

(*c*) *II. F.* 55. *§.* 4.

CAP. VIII.

Cap. VIII.

De iure vasalli circa testamentifactionem de feudo et circa pacta successoria.

ARGVMENTVM.

§. 292. *Dispositio illicita de feudo in extraneum.*
293. *Legati de eo nulla vis.*
294. *Licita fit ex speciali testandi facultate.*
295. *Dispositio inter successores quatenus valida?*
§. 296. *Quatenus inter liberos?*
297. *Dispositio libera de accessoriis feudi.*
298. *Pactum successorium de feudo.*
299. *Quatenus valeat inter agnatos.*

§. 292.

Iure communi interdictum est vasallo, feudum per *vltimam voluntatem* transferre in extraneum sine *Domini permissione (a).* Quaelibet ergo dispositio vltimae voluntatis, qua feudum *extraneo* relinquitur, sine domini consensu *illicita* et *nulla* est (*b*): nisi vasallo *facultas* de feudo *testandi* ex *speciali ratione* competat.

(*a*) II. F. 55. pr. ibi: *vel pro anima iudicare sine permissione domini. II. F. 9. §. 1.*

(*b*) I. F. 8. decernitur, patre vasallo, relictis filiis et filiabus decedente, *filios* tantum *aequaliter* succedere vel nepotes ex filio loco sui patris; *nulla ordinatione defuncti in feudo manente vel valente.* Quorum verborum vis tam ad eam dispositionem pertinet, qua

ius ſuccedendi *aliis* tribuitur, quam quibus *ex inue-ſtitura* debetur, v. c. *filiabus*, quam ad eam, qua ius ſuccedendi filiorum *aequale* interuertitur. De ſententia huius capituli varie ſentiunt interpretes. vid. *Aemil. Lud.* HOMBERGK de *patre vaſallo liberis exheredatione vel inaequali feudi diuiſione ne iure quidem Longob. praeiudicante.* Marb. 1770. *Io. Melch.* de LVDOLF *de iure primogeniturae Part. ſpec. ſ.* 7. *n.* 7. *p.* 50. *Io. Goth.* BAVER *de vaſallo exhaeredante. ſ.* 6. *ſ.*

§. 293.

Hinc 1) *legatum*, quo feudum ſine conſenſu domini extraneo relinquitur, prorſus nullum eſt, et ne *aeſtimatio* quidem illius debetur ab herede (*a*): 2) nec ſub *generali diſpoſitione* de bonis, vel ſub *fideicommiſſo* generali feudum comprehenſum eſſe praeſumitur (*b*).

(*a*) *arg.* L. 39. §. 10. *D. de legat.* I. LEYSER *ſpec.* 380. *med.* 3. *Herm.* VVLTEIVS *de feud. lib.* I. *cap.* 9. *n.* 150. *ſ. Chriſt. Lud.* CRELL in diſſ. *Vtrum feudo legato eius aeſtimatio debeatur?*

(*b*) *II. F.* 26. *ſ.* 17.

§. 294.

Poteſt ſpecialis teſtandi facultas vaſallo competere vel ex *lege inueſtiturae* (*a*), vel ex *conſuetudine curiae* (*b*). Ex ſola vero natura feudi *improprii*, veluti feudi *hereditarii*, feudi *franci*, *cenſualis*, vel *feminini* repeti non poteſt *facultas* de eo libere *teſtandi* (*c*).

(*a*) CARPZOV *reſponſ. lib. VI. reſp.* 16.

(*b*) De

(b) De feudis *Silesiacis* vid. LVNIG *corp. iur. feud. tom. II. p.* 296. 334. *tom. III. p.* 468. *de feudis Austriacis* ib. *tom. II. p.* 429. *Frid. a* SANDE *de Consuet. Geldr. tit.* 2. *cap.* 1.

(c) HORN *I. F. cap. XIV.* §. 3. STRYK *de caut. testam. cap. VI. membr. I.* §. 12. *sq.*

§. 295.

Dispositio de feudo inter *comprehensos sub investitura* non quidem illicita, sed tamen *inualida* est absque *consensu eorum*, quorum *iuri succedendi* praeiudicium infertur (*a*). Vim vero accipit ex *eorumdem consensu*, cum de eorum tantum iure agatur. Ceterum *Domini* consensu ad eam opus non est, quoad aduersus ius ipsius nihil inter eosdem disponitur.

(*a*) HORN l. c. §. 3. Hinc ex testamento, quo vasallus de feudo *inter agnatos* testatur, locus non est remedio *L. vlt. C. de Ed. D. Hadr. toll.* B. Parens *Cons. et decis. tom. I. P. II. resp.* 101.

§. 296.

Neque successor in feudo, qui simul heres est in allodio defuncti, per solam aditionem hereditatis ad agnoscendam testamentariam de feudo antiquo dispositionem obstringi potest, nisi per hanc in tantum *honoratus* sit, quantum est in feudo *oneratus:* namque ne iure communi quidem vlterius valet dispositio testatoris de bonis heredis (*a*). Ex iisdem principiis aestimanda est dispo-

ſitio teſtamentaria patris inter filios, qua vel *vni* ex filiis feudum aſſignat, *inaequalem* feudi diuiſionem init, *ordinem ſuccedendi* in feudo inter eos definit (§. 148.), feudumque onerat *vſufructu* (*b*): ad hanc enim agnoſcendam filius, etiamſi ſimul patris heres in allodio eſſe iubeatur, non obſtringitur, niſi pater eumdem tantum honorauerit ex allodio, quantum onerauit in feudo. Ceterum ad tuendum familiae ſplendorem eiusmodi diſpoſiſitioni vis accedere poteſt ex Imperantis auctoritate.

(*a*) *L.* 1. *§.* 17. *D. ad SC. Trebell. §.* 1. *I. de rebus ſing. per fideic. relictis.*

(*b*) I. F. 8. et *not.* (*b*) *ad §.* 292. Hombergk l. c. *§.* 21. ſ. Iure Saxonico valet diſpoſitio patris de feudo inter filios, quoad vltra legitimam heredes ſcripti ſunt. vid. Wernher P. II. *obſ.* 455. Horn l. c. §. 9. 10. *Guil. Hier.* Brückner *de diſpoſitione parentum vaſallorum inter liberos quoad feuda.*

§. 297.

Diſpoſitio de his, quae feudo *annexa* ſunt, naturamque *allodii* habent, arbitrio vaſalli prorſus ſubiecta eſt. Vaſallo ergo libere teſtari licet de *fructibus* feudi, eiusque *meliorationibus* (*a*), de pecunia ex *feudo vendito* redacta (§. 79.), de *pignore* et *hypotheca* in feudo conſtituta (§. 271.), ideoque de feudo oppignorato, non vero de feudo *pignoratitio* (§.75.).

(*a*) *II.*

(*a*) *II. F.* 28. §. 2. HORN *l. c. cap.* 14. §. 4. TITII *Teutſches Lehnrecht c.* 23. §. 15. *Gabr.* SCHWEDER *de fructibus feudi.*

§. 298.

Ex iisdem principiis iudicandum eſt de *pactis*, quibus ſucceſſio in feudo determinatur. Pactum ſucceſſorium, de feudo in *extraneum* transferendo, ſine Domini conſenſu illicitum eſt et nullum, niſi ius de feudo libere diſponendi ex ſpeciali cauſa competat (§. 292.). Hinc *pactum confraternitatis*, quo duae pluresue familiae in euentum, ſi altera extinguatur, ius ſuccedendi in feudo ſibi ſtipulantur, validum non eſt ſine *domini conſenſu*; niſi condatur de feudo, liberae vaſalli diſpoſitioni ex ſpeciali ratione obnoxio (*a*).

(*a*) STRYK *de ſucceſſ. ab int. diſſ.* 8. *c.* 7. §. 18. *Io. Phil.* STREIT *de pacto confraternitatis inter nobiles aliosque priuatos moribus vſitato.*

§. 299.

Pactum, quo inter hos, qui *vi inueſtiturae* ad feudum vocantur, determinatur ſucceſſio et quidquid huic annexum eſt, valet ex *mutuo* eorundem *conſenſu*, et *conſentientes* horumque *heredes* obligat (*a*). Nec in hoc ratio interuenit exigendi conſenſum *domini*, quoad nihil diſponitur aduerſus ius Domini (*b*). Talia ſunt pacta familiae,

qui-

quibus *ordo ſuccedendi* in feudo (§. 147.), et *iura* et *obligationes* ſucceſſorum feudalium intuitu *tutelarum, vidualitii, dotationis*que filiarum, ſimiliave in *commodum familiae* definiuntur.

(a) *II. F. 3. §. 1. I. Tob.* REINHARDT *obſ. ad Chriſtinaei dec. vol. VI. obſ. 20.*

(b) Moser *l. c. tom. XVI. p. 530.*

Cap. IX.

De iuribus et obligationibus Vaſalli impuberis eiusque tutela.

ARGVMENTVM.

§. 300. *Mores Germ. antiqui circa tutelam feudalem,*
301. *in ſpecie circa tutelam fructuariam domini.*
302. *Quomodo ceſſauerit?*
303. *Ratio hodierna tutelae feudalis.*
304. *Quis idoneus in feudo tutor?*
§. 305. *Quomodo conſtituatur?*
306. *Ius domini circa eam.*
307. *Officium tutoris feudalis.*
308. *Speciatim circa renovationem feudi.*
309. *Quomodo finiatur tutela feudalis?*

§. 300.

Si vaſallus per aetatem ſupereſſe feudo non poteſt: locus eſt *tutelae feudali*, quae concernit *exercitium dominii vtilis feudalis pro impubere aucto-*

ritate

ritate publica obeundum (*a*). Iure antiquo *pubertas feudalis* aeſtimata eſt ex *capacitate inueſtituram accipiendi*, *ſeruitiumque militare praeſtandi*, et terminata *anno XIII. et VI.* ſeptimanis (*b*). Vaſallus, poſtquam ad hanc aetatem peruenit, pro *capace inueſtiturae*, *Lehnbar*, non vero prius pro *maiori* habebatur, quam attigerat annum aetatis XXI. (*c*).

(*a*) Ita et gloſſa *iur. Sax. prou. lib.* 2. *cap.* 58. *Des Herrn Vormundſchaft iſt eine Verwaltung des Ritterſoldes oder Lehengutes, ſo lang das Kind jung und unmündig iſt.*

(*b*) *Ius feud. Alem.* c. 50. §. 4. *cap.* 52. §. 2. *Ius feud. Sax. art.* 28.

(*c*) *I. F. A. c.* 50. §. 5. *I. F. S. art.* 28. *Chriſt. Gottl.* HALTAVS *in gloſſ. Germ. p.* 992.

§. 301.

Fuit olim tutela Vaſalli impuberis penes *proximum agnatum*, ad inſtar prouaſalli ſeruitio feudali functurum (*a*). Si impuberi non erat agnatus ex numero *vaſallorum Domini* (*b*); feudum deuoluebatur ad Dominum ratione *adminiſtrationis* et *vſusfructus* ſub appellatione *des Angevelle*, ſaluis alimentis impuberi ex eo praeſtandis. Feudo, ob aetatem vaſalli impuberis ad ſe deuoluto, vel Dominus ipſe fruebatur, vel alium eodem ad idem tempus inueſtiebat ſub nomine *feudi guardiae*, *cuſtodiae*, *Vormundſchafts-Lehn* (*c*).

Fuit

Fuit ergo tutela *fructuaria* feudalis *solius domini* vel *inuestiti ab eo;* finitaque est, ex quo impubes peruenit ad annum aetatis XIII, quo ipsi danda erat inuestitura feudi: quamquam ad causas feudales in iudicio tractandas *tutore* adhuc opus haberet vsque ad XXI. aetatis annum (*d*).

(*a*) *Ius feud. Alem. cap.* 55.

(*b*) Huius circumstantiae ratio habetur in *iure feud. Alem. c.* 55. *Stirbt ein Mann unt lot Kind hinter Ime, die under iren Ioren sint, der Herre lihet einem andern das Anevelle, ob es nütt Vormundes hett, der des Herren Mann sye.* In *iure feud. Sax. art.* 28. Domino *simpliciter* tribuitur tutela. *Der Herre ist immer des Kindes Vormunde an dem Gut, das es Kind von ime het, dieweile erz Angevelle unverliehen hat, und sal das Geld des Gutes nehmen, bis das Kind zu sinen Iaren komme.*

(*c*) *Ius feud. Al. c.* 106. BVDER *amoenit. iur. feud. c.* 11. *p.* 141. *Io. Petr. de* LVDEWIG *de fructuum attributione et tutela fructuaria diss.* 1. *Car. Frid* WALCHII diss. *sub praes.* BVDERI *de tutela extraneorum legitima Sect. vlt.* §. 5. 7.

(*d*) *Ius feud. Alem. c.* 55. §. 3. *I. F. S. art.* 28.

§. 302.

Sed diu *antiquata est* tutela Domini fructuaria, vasallis perquam *molesta*, et magno saepius aere redemta (*a*). Ex regula obtinuit tutela *agnatorum:* quam *fructuariam* fuisse, non apparet (*b*). Nouiori aeuo tutela feudalis aestimari coepit ex principiis *iuris communis.*

(*a*) Exemplum habet *Io. Christoph.* BECMANNVS in *Historia Anhaltina tom. I. p.* 527.

(*b*) Ex-

(*b*) Exempla *inuestiturarum*, quibus tutores agnati, ceu *prouasalli* inuestiti sunt feudo, collegit *Io. Ge.* ESTOR *de tutela electoris clerici agnati §.* 1. *et* 4.; sed formula *in Namen und an Statt und als Lehnträger der unvogtbaren besitzen und gebrauchen* non euincunt fructuariam *agnati* tutelam, (quae probari in feudis non potest), sed feudum *nomine pupilli* et *iure tutelae* esse possidendum.

§. 303.

Tutela feudalis, in specie sic dicta, versatur in *potestate publica administrandi feudum*, *cui vasallus per aetatem superesse nequit:* eique haud insunt ea, quae ad curam educationis vel ad administrationem bonorum pupilli propriorum pertinent: ideoque rationem *curae* habet (*a*). Dari potest vel *separatim*, vel *coniunctim* cum tutela *ordinaria;* atque hoc casu *pars* est tutelae ordinariae (*b*).

(*a*) *Car. Wilh.* GAERTNERI diss. *Iure Germanico inter impuberem et minorem, tutorem et curatorem non distingui.*

(*b*) In terris Brunsuicensibus tutelae feudalis et ordinariae non sunt separatae rationes, cum administratio feudi reuocata sit ad tutelam ordinariam. *Henr. Chr. de* SENCKENBERG *de feud. Brunsu.* §. 46.

§. 304.

Cum moribus Germanorum tutor prouasallum pupilli ageret: conuenire visum est, tutorem *feudorum capacem* esse (*a*). Supersunt eius rei reliquiae, quod inidoneus ad feuda, ad tutelam feudalem

dalem haud admittatur nisi ex *consensu Domini*, vel ex *obseruantia iuris communis*: ex qua *mater* et *auia* iure praecipuo, sed eadem lege, qua iure communi, admittitur (*b*), quamquam ei *contutor feudalis* adiungi soleat.

(*a*) *Ius feud. Alem. c.* 52.

(*b*) STRYK in *vsu mod. Pand. lib.* 26. *tit.* 4. 3. 19. 27. *I. Petr. de* LVDEWIG *de tutela materna diss.* 2. *Ge. Melch. de* LVDOLF *de iure feminar. illustr. P. I.* §. 25. *Frid. Es.* PVFENDORF *obs. iur. tom. I. obs.* 201.

§. 305.

Tutela *feudalis* constituitur eodem modo, ac tutela *ordinaria*, 1) *pacto* et inprimis *pactis familiarum*, nec non 2) *testamento* patris (*a*). 3) *Legitima tutela feudalis* ad analogiam iuris Germanici et communis introducta, penes eum est, qui est *proximus agnatus successor* in feudo, ideoque penes *agnatum qua talem*, vel agnatum *simultanee inuestitum* (*b*). 4) In subsidium locus est *tutelae datiuae*.

(*a*) *Hier. Frid.* SCHORCH diss. *de tutela feudali eiusque differentiis ab allodiali* §. 5. *s*.

(*b*) HORN *I. F. cap.* 6. §. 14. STRVVIVS *cap.* 7. §. 7. *Lud.* MENCKE *de praerogatiua agnatorum prae cognatis in suscipienda tutela curaue quoad allodium et feudum*. WALCH *l. c.* §. 7. 8.

§. 306.

Ius *dandi tutorem feudalem* est actus *iurisdictionis feudalis*: ideoque *Domino* competit, et in subfeudis

feudis *domino immediato* (*a*). Tutor pupilli ordinarius ergo *administratione feudi* defungi nequit, nisi impetrata constitutione a *domino feudi extranei.* Ius *confirmandi* tutelam feudalem est actus *tutelae supremae territorialis* (*b*): ideoque *confirmatio tutelae* impetranda est a domino territorii ratione feudorum *in territorio* sitorum.

(*a*) HORN *l. F. cap.* 6. §. 18. *Iac. Car.* SPENERVS *de tutela datiua subuasallorum imp.*

(*b*) *arg. Reform. Polit. a.* 1548. *tit.* 35. *§.* 2. *et. a.*1577. *tit.* 32. §. 2. *Io. Gottl.* HEINECCIVS *de suprema principum et magistratuum tutela §.* 25.

§. 307.

Officium tutoris feudalis versatur tum in *administratione feudi* in vtilitatem pupilli gerenda, tum in officiis seruitiisque feudalibus eius intuitu praestandis: quo nomine rationibus reddendis obnoxius est (*a*).

(*a*) *cit. Rec. Imp. de a.* 1548. *et* 1577. *l. c.*

§. 308.

Inprimis cura inuestiturae, nomine pupilli vel minoris *renouandae*, ad officium tutoris pertinet. Quamquam tutor *inuitus* non obligetur praestare iuramentum fidelitatis in animam pupilli (*a*), nec ipse pupillus ante annum XIV ad illud admittatur (*b*): id tamen iustam tantum

praeſtat cauſam *indulti feudalis* petendi (§. 188.). Totor vero *volens* admittitur ad vaſallagium in *animam pupilli* praeſtandum: et inueſtiturae renouatio nomine eius ſuſcepta perinde habenda eſt, ac ſi *ab ipſo pupillo* peracta eſſet (*c*).

(*a*) *II. F. 26. §. 1. Si quis deceſſerit, filio impubere relicto, fidelitatem nec ipſe nec alius pro eo facere cogetur: idem de ſeruitio perſonalli. Alius tamen pro eo faciens ſeruitium admittitur.*

(*b*) *II. F.* 55.

(*c*) Cum iure antiquo Germanico tutor, ceu *prouaſallus*, proprio nomine petere inueſtituram teneretur: haec proficua non erat pupillo, poſt adeptam *pubertatem feudalem* ad petendam inueſtiturae renouationem obligato. I. F. A. c. 52. ſ. I. F. S. art. 28. *Io. Ad.* KOPP in Lehns-Proben P. I. p. 135. Sed id hodie non obtinet, niſi vi *obſeruantiae ſpecialis*. SCHILTER *ad ius feud. Alem. c.* 52. *§.* 3.

§. 309.

Tutela feudalis non, vt olim, *pubertate feudali* (§. 300.), ſed, ad analogiam *iuris communis*, *maiori aetate* finitur. *Venia aetatis*, niſi a Domino approbata, vim non habet *finiendae tutelae feudorum prouincialium* (*a*).

(*a*) Litem, deſuper in curia feudali Bohemica motam, recenſet MOSERVS *in Staatsrecht tom. XVIII. cap.* 99. *§.* 50. *p.* 468.

CAP. X.

Cap. X.

De Obligatione domini et vaſalli erga alios ex debitis intuitu feudi contractis.

ARGVMENTVM.

§. 310. *Debitum allodiale et feudale.*
311. *Ex illo ſucceſſor feudi non tenetur.*
312. *Tenetur tamen vi ſucceſſionis hereditariae.*
313. *Quatenus ex eo teneantur liberi?*
314. *Debitum feudale ſua natura tale et conſenſuatum.*
315. *Eſt vel neceſſarium et ſubſidiarium, vel abſolutum et reſpectivum.*
§. 316. *Debitum feudale ſua natura tale,* 1) *ex diſpoſitione iuris,*
317. 2) *ex verſione in vtilitatem feudi,*
318. *vel ex verſione in vtilitatem ſucceſſoris,*
319. *Debitum feudale ex accedente conſenſu,*
320. *ſpeciatim ex hypotheca.*
321. *An debitum feudale ſolutum heres allodii a ſucceſſore in feudo repetere queat?*
322. *Cognitio de debitis feud.*

§. 310.

Tranſimus ad obligationes vaſalli et domini intuitu feudi *erga alios*, quoad ex *debitis* oriuntur. Ex vero *debitum vaſalli* vel ALLODIALE, *quod ſoluendum eſt ex allodio vaſalli, debitoris,* vel FEVDALE, *quod ex ſpeciali ratione ſoluendum eſt ex feudo vaſalli debitoris.* Ex *illo* vaſallus, qua *debitor* obſtringitur: ex *hoc* quilibet etiam *poſſeſſor feudi*, ex quo ſolutio facienda eſt.

P 2 §. 311.

§. 311.

Ad DEBITVM ALLODIALE defuncti vasalli exsoluendum *successor feudalis*, qua talis, non obligatur (§. 120.) (*a*). Etiamsi eiusdem hereditas *allodialis* successori agnato vel simultanee inuestito vna cum feudo deferatur: penes hunc tamen est, *repudiato allodio*, in solo feudo succedere (§. 145.), siue hoc *antiquum* sit siue nouum, *iure antiqui* concessum (*b*).

(*a*) II. F. 45. ibi: *nec de debito hereditario aliquid feudi nomine soluere cogitur.* Conf. *L.* 15. C. *de donationibus.*

(*b*) II. F. 51. §. 4. In *II. F.* 45. quidem feudi *paterni* tantum mentio fit, sed eo fine, quod in feudo antiquo *agnati* tantum *succedant;* cum quo eadem iura habet feudum nouum, *iure antiqui* concessum (§. 131.).

§. 312.

Quoties in feudo vel *successio hereditaria* obtinet, vti fit in feudo *hereditario* tam *mero* quam *mixto* (§. 130. 131.), vel *successio in allodio* defuncti vasalli coniuncta est cum successione *in feudo:* toties successor feudalis ex debito *allodiali* defuncti vasalli obstringitur (*a*).

(*a*) *II. F.* 45. *L.* 14. *C. de rei vindicat. L.* 8. *D. de acquir. vel omitt. hered.*

§. 313.

§. 313.

Cum ſucceſſio *filii* in feudo adeo ſit coniuncta cum ſucceſſione in allodio defuncti patris vaſalli, vt *allodium* non poſſit *absque feudo repudiare:* filius ex debitis patris *allodialibus* obſtringitur (*a*), niſi repudiato vtroque, *nouam* feudi *inueſtituram* ex agnatorum conſenſu a Domino impetrauerit (§. 140.). *Nepos*, aui in feudo ſucceſſor, eodem iure cenſetur, ad hereditatem aui, et debita auita agnoſcenda obligatus: nepos vero, repudiata *patris praemortui* hereditate, *auo* in feudo ſuccedens, *aere alieno patris* non obſtringitur (*b*). Ceterum *beneficium inuentarii* prodeſt filio, ne teneatur vltra vires vtriusque patrimonii, *allodii* et *feudi* (*c*). Allodio ergo non ſufficiente, debitum allodiale ſaltem ex *fructibus feudi* exſoluere tenetur (*d*).

(*a*) *II. F.* 45. *Hart.* PISTOR *quaeſt. iur. lib.* 2. *qu.* 1. 13. *Io. Henr. de* BERGER *de omiſſione hereditatis* §. 49. *ſ. Io. Frid.* KOBII comment. *de pecunia mutuatitia tuto collocanda* §. 71. *ſ.*

(*b*) *Vdalr.* ZASIVS in *epit. feud. Part.* 8. *n.* 11. CARPZOVIVS *reſponſ. lib. VI. reſp.* 72. *Ge. Diet. ab* ENGELBRECHT *de iure repraeſentationis in ſucceſſione et an eodem inprimis nepotes indigeant?*

(*c*) Idem et rationibus ſanctionis II. F. 45. apprime conforme eſt, cum ſi filius, hereditate cum beneficio inuentarii adita, non niſi vltra *vires allodii* obſtringeretur, vt viſum eſt nonnullis apud GAILIVM *lib.* 2. *obſ.* 154. *n.* 16. perinde eſſet, ac ſi *allodium repudiaſſet.* Conf. *Conſtit. Sax. Elector. P. II. Conſt.* 47.

47. apud LVNIG *corp. iur. feud. tom. II. p.* 597. 609. 635. *ſ.* STRVVII *S. I. F. c.* 14. *ſ.* 30. *Eſ.* PVFENDORFII *introd. in Proc. ciu. P. III. c.* 22. *ſ.* 29. *Io. Vlr.* CRAMER *obſ. iur. tom. I. obſ.* 280.

(*d*) Quatenus ipſi competat beneficium *competentiae*, docet *Ge. Dav.* STRVBEN *Rechtl. Bedenken tom. I. reſp.* 6.

§. 314.

Vt *debitum vaſalli* pro FEVDALI habeatur, interuenire debet *ratio ſpecialis*, ex qua *ex feudo* ſoluendum eſt. Quae ſi poſita eſt in *diſpoſitione iuris* eiusue rationibus, *debitum feudale* eſt *ſua natura* tale, ſin in accedente *conſenſu* eius, ad quem deuoluitur feudum, ex quo illud ſoluendum eſt, *conſenſuatum* vocatur (*a*). Ceterum debitum feudale ratione *obligationis*, ex qua ex feudo praeſtandum eſt, *onus feudale* dici ſolet (*b*).

(*a*) *Car. Henr.* MOELLER *de vſu diſtinct. feud. c.* 21. *diſt.* 2.

(*b*) CARPZOVIVS in tr. *de oneribus vaſalli feudalibus, inter diſſ. hiſtor. iurid. p.* 611. *Frid.* GERDESIVS *de onerib. feudalib.* Gryphiſw. 1671.

§. 315.

Debitum feudale 1) ratione *modi* eſt vel NECESSARIVM, quod *ex feudo ſimpliciter* exſoluendum eſt, nulla habita ratione, vtrum expungi ex *allodio* poſſit, nec ne, vel SVBSIDIARIVM, quod demum *excuſſo allodio*, ex feudo debetur: 2) ratione *poſſeſſorum*, ad quos feudum deuoluitur, eſt vel ABSOLVTVM, quod *ab omni poſſeſ-*

ſore

ſore feudi, vel *reſpectiuum*, quod a *certis tantum ſucceſſoribus in feudo* praeſtandum eſt (*a*).

(*a*) *Benedictus de* BREMER in Probl. *Num debita feudalia, a vaſallo ſoluta, heres allodii a ſucceſſore in feudo repetere queat* §. 11. Goetting. 1741.

§. 316.

Debitum feudale, *ſua natura tale*, eſt, quod fundatur per diſpoſitionem *iuris feudalis communis* vel *particularis:* quorſum pertinent *alimenta* ſucceſſori feudali, ob vitium mentis incapaci, ex feudo in ſubſidium debita (*a*), dos *filiae*, deficiente allodio, ex feudo praeſtanda, et *impenſae* in funus defuncti vaſalli factae (*b*). Iura feudalia *particularia* paſſim indulgentiora ſunt in variis debitorum feudalium generibus in ſubſidium agnoſcendis (*c*).

(*a*) *I. F.* 6.

(*b*) *Chriſtoph. Lud.* CRELL *de vaſallo ad impenſas in funus deceſſoris faciendas in ſubſidium obligato.*

(*c*) CARPZOVIVS *de debitis et oneribus feud.* STRYK *de feudis Pomeraniae c.* 2. KRESS *l. c. Ge.* ENGELBRECHT *de ſingul. iurib. feud. Mecklenb. Sect. II.* §. 12. TORNOVIVS *de feud. Mecklenb. Part. I. c.* 3. *Sect. I.*

§. 317.

Debitum feudale, *ſua natura tale*, II. non minus ex principiis *iuris ciuilis communis* fundatur per *verſionem* vel in vtilitatem *feudi*, vel in vtilita-

tem *successoris feudalis.* Quod 1) ex *versione in vtilitatem feudi* oritur debitum feudale, necessarium est et absolutum (§. 315.): modo debitum in *ipsius feudi* vtilitatem versum esse *probetur* (*a*). Si quid *fructuum* ex feudo percipiendorum causa, vel *servitii feudalis* praestandi, vel *laudemii* soluendi causa contractum est debitum, pro feudali non est habendum (*b*).

(*a*) *II. F.* 28. *§. vlt. L.* 3. *§.* 2. *L.* 3. *§.* 9. *D. de in rem verso. I. Paul.* KRESS *de debitis ex feud. praesertim Pomeraniae soluendis. c. II. §.* 4. *Gabr.* SCHWEDER *de meliorat. feud c. IV. §.* 9. *Es. Frid.* PVFENDORF *l. c. tom. III obs.* 143.

(*b*) LEYSER in med. *ad Pand. Spec.* 167. *m.* 5.. MEVIVS *Cons.* 44. *n.* 66. 87.

§. 318.

Debitum vasalli, quod 2) simul vergit in *vtilitatem successoris* feudalis, est debitum feudale *necessarium* et *respectiuum*, intuitu eius scilicet, cuius vtilitas inde promota est (§. 315.) (*a*). Hinc *residuum pretii*, quo comparatum est feudum, vel pecunia ad illud emendum *mutuo* accepta, vel aes alienum, *coheredis dimittendi*, vel expungendi *debiti feudalis* causa contractum, istum successorem tantum obstringit (*b*), cuius *vtilitati* et *iuri succedendi* inde prospectum est. Par ratio est *salarii aduocati*, qui causam feudi in *commodum successoris* simul egit (*c*).

(a) *L.* 3. *§.* 2. *L.* 10. *D. de in. in verso.*

(b) *Constit. Elect. Sax. P. II. const.* 46. HORN *I. F. c.* 21. *§.* 6. CARPZOVIVS *respons. lib. IV. resp.* 66. KRESS *l. c. §.* 7. 8. *Ge.* ENGELBRECHT *de debitis feudalib. §.* 68. STRYK diss. *de obligatione feudi consensu munita c.* 1. *n.* 19. *Es. Frid.* PVFENDORF *l. c. tom. III. obs.* 139.

(c) CARPZOV *P. II. c.* 46. *def.* 30. MEVIVS *Part. VI. dec.* 106. *de* CRAMER *Nebenstunden P.* 36. *obs. I.*

§. 319.

Altera species est *debitum consensuatum* (§. 314.), ad quod soluendum consentiens, siue is successor feudalis sit siue Dominus, feudo, ex quo illud est praestandum, ad eum delato, in *subsidium* tantum obligatur ex natura *accessoriae* obligationis (a); nisi simul sit debitum feudale ex versione (§. 317.). Consensus colligitur ex *subscriptione contractus*, hac mente facta: et *Dominus* nec non *agnati* vel *simultanee inuestiti*, eidem simpliciter subscribentes, *qua tales*, subscripsisse, in eumque consensisse *praesumuntur* (b), nisi de alia mente *subscribentis* constet.

(a) *Es. Frid.* PVFENDORF *l. c. tom. III. obs.* 142. KRESS. *l. c. §.* 26. WERNHER *P. VI. obs.* 299.

(b) *arg. L.* 8. *§.* 15. *D. quib. mod. pig. vel hyp. solu. Casp. Achat.* BECK *de consensu feudali §.* 40. PVFENDORF *l. c. tom. III. obs.* 144. Dissent. STRYK *l. c. cap. III. n.* 49.

§. 320.

Pari ratione ex *hypotheca*, ob debita vaſalli in feudo conſtituta, ſecundum principia ſupra propoſita (§. 270.) tenentur tum 1) *agnati* et *ſimultanee inueſtiti* conſentientes horumque heredes, tum 2) *Dominus directus*, feudo ad ſe reuerſo, tum 3) *tertius*, in quem feudum alienatum eſt, tamquam *hypothecae poſſeſſores*, et ſaluo beneficio *hereditatis allodialis prius excutiendae:* ideoque debitum, hypotheca munitum, iure *communi* eſt debitum feudale *ſubſidiarium.*

§. 321.

Obligatio ſucceſſoris in feudo ad debitum feudale ſoluendum non prius naſcitur, quam *ſucceſſione* in feudum actu delata. Sed quaeſtionis eſt: vtrum *heredes allodiales* vaſalli defuncti reſtitutionem *debiti feudalis*, *ab eo ſoluti*, repetere poſſint a ſucceſſore feudali? Diſtinguendem eſſe exiſtimo, vtrum ſolutione debiti feudalis *verſio* facta ſit vel in *feudum* vel in *vtilitatem ſucceſſoris*, nec ne. Si illud: ſucceſſor feudalis ex *verſione* obligatur ad debitum feudale ſolutum heredibus allodialibus defuncti vaſalli refundendum (*a*). Sin deficit verſio: deeſt cauſa obligandi, nec heredibus allodialibus ius competit petendi eius reſtitutionem, cum vaſallus defunctus ſolutione debiti

feuda-

feudalis non *alienum* gesserit negotium, sed *proprium*.

(*a*) Ex causa *versionis* recte repeti potest huius quaestionis decisio, cum vtilitas ex solutione debiti feudalis ad successorem feudalem peruenerit: namque soluens *ex euentu* potuit vertere hanc solutionem in vtilitatem futuri successoris arg. *L.* 10. *§. vlt. D. de in rem verso.* Ex hoc principio haec causa perdifficilis recte aestimata est in Responso Supremi Tribunalis, quod Berolini est, quod exhibetur in *Beyträgen zur Juristischen Litteratur in den Preussischen Staaten Part. III. p.* 15-25. vid. MEVIVS *P. V. dec.* 55. In casu versionis vel in feudum vel in vtilitatem successoris feudalis applicari tantum potest principium iuris, successorem ex solutione debiti feudalis, a defuncto vasallo facta, *per iniuriam* locupletiorem fieri cum damno heredum allodialium. De hac quaestione varie sentiunt interpretes. Vid. *Benedictus de* BREMER. l. c. §. 19. 29. PVFENDORF *l. c. tom. I. obs.* 242. *tom. III. obs.* 137. STRVBEN *in Rechtl. Bedenken, tom. II. resp.* 1. *§. vlt. Io. Aug.* HELLFELD in pr. de *herede allodiali debita feudalia a vasallo soluta repetente*, Ien. 1755. *Daniel* NETTELBLADT de *refusione debitorum feudalium solutorum*, Halae 1770.

§. 322.

Causae, quae debitum feudale vel hypothecam, eo nomine constitutam, respiciunt, *causae feudales* non sunt (§. 207.) cum ex nexu feudali non descendant, sed ad obligationem Domini vel vasalli erga tertium pertineant: ideoque cognitio de iisdem ad iudicium feudale non pertinet, sed ad *iudicem ordinarium* (*a*). Itaque actus ad *executionem* pertinentes, siue concernant executionem in fructus feudales, siue in substantiam feudi, a iudi-

iudice ordinario expediri iure possunt (*b*). Ob debita *allodialia* executio tantum in fructus feudi, ob debita *feudalia* etiam in substantiam feudi decerni potest (*c*). Vnde si vasallus obaeratus est, non modo fructus feudi, sed et feudum ipsum, intra territorium situm, ad iudicium concursus vniuersale hoc fine reuocari possunt, vt debita allodialia ex *illis*, feudalia, in feudo rite constituta, ex ipso *feudo* expungantur (*d*).

(*a*) de PVFENDORF *tom. IV. obs.* 174. §. 3. *Io. Tobias* REINHARTH de *iurisd. allod. et feud. conflictu* §. 20.

(*b*) STRVVIVS in synt. iur. feud. c. 14. §. 31. *Lud.* MENCKE *in Proc. iur. comm. et Sax. tit.* 40. §. 5. *Io. Frid.* KOBIVS *de pecunia mutuatitia tuto collocanda* §. 93. sq. *I. Tob.* REINHARTH *de eo quod iustum est circa executionem in bona feud.* §. 16.

(*c*) *Io. Aug.* HELLFELDT *de iure creditorum vasalli in percipienda ex fructibus feudi solutione.* Ien. 1762.

(*d*) STRVVIVS in *Synt. iur. feud.* c. 14. §. 31. 33. HELLFELDT *de iure creditorum allodialium intuitu feudi et concursus feudalis.* Ien. 1755. KOBIVS *l. c. cap. VIII.*

CAP. XI.

Cap. XI.

De obligatione ſucceſſorum feudalium ad praeſtandum dotalitium vel alimentariam prouiſionem.

ARGVMENTVM.

§. 323. *Debita feudalia ſpecialia intuitu vxoris et filiarum vaſalli.*
324. *Vidualitium quid in ſenſu generali?*
325. I) *Dotalitium in ſpecie ſic dictum et vidualitium.*
326. *Ratio dotalitii.*
327. *Eius qualitas.*
328. *Quatenus ſucceſſores ad illud conſtituendum obligati.*
329. *Modus illud finiendi.*
§. 330. *Eo finito, an dos repeti queat?*
331. II) *Vidualitium in ſpecie ſic dictum.*
332. *Obligatio ad illud praeſtandum.*
333. *Modus illud finiendi.*
334. *Ius vxoris in conſtituto vidualitio.*
335. III) *Alimentaria prouiſio filiarum.*
336. *Iura particularia circa eam.*
337. IV) *Legitima ex feudo.*

§. 323.

Quamquam omne id, quod *vxori* defuncti vaſalli eiusque *filiabus* ex iure communi vel ex eius diſpoſitione debetur, ſua natura ſit *debitum* hereditarium et *allodiale* (*a*): id tamen in *debitum feudale* tranſit tum interuenientibus principiis, §. 314. expoſitis, tum ex *obſeruantia*, ex oblatione feudorum enata, cuius magna vis eſt in huius-

huiusmodi debitis, in *familiae decus* comparatis, ex feudo praeſtandis.

(*a*) II. F. 28. §. vlt. *Quartae ſiue tertiae ratione, quae a Longobardis ſeu a Romanis viris vxoribus fieri ſolet; poſt mortem viri ad mulierem nihil pertinet. II. F.* 11. *pr.*

§. 324.

Vidvalitivm fevdale (*a*) in genere eſt, *quidquid vxori defuncti vaſalli in caſum viduitatis ad vitae ſubſidia ex feudo praeſtandum eſt.* Conſtituitur vxori in *caſum*, ſi vidua fiat: *ſua natura* vero adſtrictum non eſt ad *ſtatum viduitatis*, quamquam id fieri poſſit vi *ſpecialis conuentionis*, vel alterius diſpoſitionis.

(*a*) Vulgo *Witthum, Lipgeding, Leibzucht, dotalitium, vitalitium, dos, donatio propter nuptias.* In charta a. 1326. in Gvdenvs *Cod. dipl. tom. III. p.* 244. mentio fit *donationis propter nuptias, quae vulgariter dicitur Wedemen Recht.*

§. 325.

Eſt vero vidualitium duplex, vel dotalitivm fevdale, in ſpecie ſic dictum, *quod ſimul conſtituitur in dotis, in feudum illatae et verſae, compenſationem*, et vidvalitivm, in ſpecie ſic dictum, *quod conſtituitur nulla habita dotis illatae et in feudum verſae ratione.*

§. 326.

§. 326.

I. Ratio ſpecialis *dotalitii feudalis* continetur in *dote in feudum illata et verſa;* in eoque multum ſimul dandum eſt *obſeruantiae*, vi cuius quoque ratio habetur *antidotis*, ex feudo promiſſae. Ad illud ergo petendum opus eſt *probatione dotis* illatae, et *verſionis* ſaltim *demonſtratione* (*a*): *praeſumta verſio*, quae ex probata dotis illatione coniicitur, non ſufficit, niſi vbi vim *praeſumtionis iuris* habet ex iure particulari vel ex obſeruantia (*b*).

(*a*) STRYK *de ſucc. ab int. diſſ. IV. cap.* 2. *§.* 11. *Eſ. Frid.* PVFENDORF *obſ. iur tom. I. obſ.* 239.

(*b*) De moribus Saxonum vid. *Chriſtoph. Henr.* BERGERI *ſelecta iuris dotalitii capita §.* 13. 15. WERNHER *obſ. for. P. II. obſ.* 432.

§. 327.

Quantitas eius vel *ordinaria* eſt, quae vi *obſeruantiae* determinatur, vel *extraordinaria*, quae *alia ratione* quam per obſeruantiam definitur, velvti *pactis familiae*, vel *conſenſu* eorum, quorum intereſt, aliaue *diſpoſitione*, ſucceſſores obligante. Vi obſeruantiae in dotalitium aſſignantur reditus feudi, *conſuetis vſuris* maiores: et quidem vel *duplicatae vſurae dotis*, ſi in eo conſtituendo ratio tantum habetur *dotis in feudum verſae*, vel *quadruplicatae*, ſi ſimul *vi obſeruantiae* ratio habetur *antidotis*, *ex feudo promiſſae* (*a*).

(*a*) I.ü-

(*a*) LÜDER MENCKEN *de quantitate dotalitii praesertim in Saxonia.* *Io. Vlr.* de CRAMER de aequitate *quantitatis dotalitii viduar. illustr. et nobil. tom. II. op. p.* 626.

§. 328.

Quoniam dotalitium debetur *ob dotem in feudum illatam et versam:* ad illud 1) intra *modum legitimum* vel adhuc constituendum vel praestandum obligatur quilibet *successor feudalis* nec non dominus ipse, feudo ad se deuoluto (*a*). Non vero 2) debetur vxori, dotem *ex feudo repetenti;* nec 3) debetur, si *dos nulla* constituta, vel haec promissa quidem est, sed viuo marito *haud illata. Iure Saxonico*, vel vbi similis obseruantia valet, integrum est vxori, post mariti mortem *dotem cum vsuris* offerre successori agnato ad impetrandum dotalitium (*b*).

(*a*) *Henr.* NETTELBLADT *de dotalitio Sect.* 2. *§.* 20. *f.* STRYK *l. c. diss. IV. c.* 2. *§.* 12.

(*b*) *Const. Sax. Elect. P. II. const.* 44. ibique CARPZOVIVS, BERGER *l. c.* §. 19.

§. 329.

Finitur dotalitium, si *virtute constitutionis* existere desinit; ideoque *morte viduae* finitur. In *transitu viduae ad secundas nuptias* modus illud finiendi non continetur (*a*). *Amittitur* vero dotalitium, si vidua eo priuatur, veluti ob adulterium (*b*).

(*a*) WERN-

(*a*) WERNHER *obſ. for. P. VIII. obſ.* 144. BERGER *l. c. ſ.* 38. *Chriſt. Henr.* BREVNING *de dotalitio ob ſecundas nuptias non ceſſante. Io. Vlr.* de CRAMER *Wetzlariſche Nebenſtunden Part.* 9. *obſ.* I.

(*a*) *c.* 4. X. *de donat. int. vir. et vxor.* PVFENDORF *l. c. tom. III. obſ.* 122.

§. 330.

Finito dotalitio, ius dotem, *ceu ſortem*, ex feudo *repetendi* extinctum non eſt (*a*), niſi vbi id cautum eſt iure et obſeruantia particulari, maxime in locis, vbi vſurae dotis quadruplicatae, inſtar *redituum vitalitiorum*, praeſtantur (*b*).

(*a*) *Nic.* HENELIVS *de dotalitio cap. X.* STRYK *de caut. contract. Sect.* 3. *c.* 8. *ſ.* 28. PVFENDORF *l. c. tom. I. obſ.* 22. *ſ.* 5. *tom. III. obſ.* 120. *ſ.* 3.

(*b*) *Conſt. Elect. Sax. P. II. conſt.* 42. CARPZOVIVS *dec. illuſtr. P. III. dec.* 168. *n.* 10.

§. 331.

II. *Vidualitium*, in ſpecie ſic dictum (§. 325.), viduae conſtitui poteſt, vel *feudo* hoc nomine tradito, vel aſſignatis determinatis *fructibus reditibusue*, ex feudo vel in natura vel in aeſtimatione praeſtandis. *Prius* vel ex more antiquo praeſtari poteſt per *Domini infeudationem*, feudo viduae vaſalli collato *zum Leibgedings-Lehn* (*a*); vel per *conſtitutionem ipſius vaſalli*, qua vxori ſuae feudum confert in ius vtendi fruendi vidualitii nomine. Huiusmodi conceſſio, cum fiat ſaluo

Q nexu

nexu feudali, cenſu prohibitae alienationis haberi non poteſt (§. 263.); ideoque ad eam Domini conſenſus neceſſarius non eſt (*b*), niſi is ex ſpeciali iure et obſeruantia *curiae feudalis* exigatur (*c*).

(*a*) Hoc fine maritus feudum in *fauorem vxoris* domino *refutare* ſolebat, reſeruato ſibi et agnatis iure ſuccedendi. *Ioach.* MÜLLER in *entdeckten Staats-Cabinet Eröffn. IV. c. 2. vom Leibgedings-Lehn.* Exempla occurrunt in *Ferd. Val. de* GVDENVS Cod. dipl. tom. II. p. 992. 1154. tom. III. p. 559. *Io. Ad.* KOPP *Lehns-Proben tom. I. obſ. V. p.* 223.

(*b*) *I. Aug.* HELLFELDT ad *Struuii iurispr. heroicam c.* 3. *S. I. §.* 44. *P. III. p.* 247. GVNDLING *de emtione vxor. dote et morgengaba c.* 4. *§.* 2. *p.* 117.

(*c*) Exempla recenſet KOPP l. c. §. 10. p. 236. *Henr.* NETTELBLADT de *dotalitio Sect. I. p.* 32. 37.

§. 332.

Ad vidualitium a vaſallo in feudo *efficaciter* conſtituendum requiritur ſpeciale *fundamentum obligandi* hos, ad quos feudum, mortuo vaſallo, deuoluitur. Hoc poſitum eſt 1) in natura ſucceſſionis *hereditariae*, ſiue haec *coniuncta* ſit cum ſucceſſione feudali, vt in filiis (§. 140.) ſiue *ipſa ſucceſſio* in feudo ſit hereditaria (§. 130.): 2) in *conſenſu* eorum, ad quos feudum, mortuo vaſallo, peruenit: 3) in *pactis familiae*, ex quibus inter hos, quorum conſenſu inita ſunt, oritur obligatio ad vidualitium ex eorum norma praeſtandum.

(*a*) Hoc

(a) Hoc deficiente, ex feudo non debetur. *Io. Tobias* REINHARTH ad *Christinaei decis. vol. I. obs.* 40.

(b) *H. C. de* SENCKENBERG *meditat. iur. et hist. fasc.* 3. *med.* I. *p.* 431. KOPP *Lehns-Proben tom. I. obs.* 5.

§. 333.

Prout vidualitium in feudo est legitime *constitutum;* ita debetur, nulla habita dotis illatae ratione (*a*). Vidualitium *indefinite* constitutum neque sua natura, neque per leges adstrictum est ad *statum* et ad *tempus viduitatis:* ideoque per *secundas nuptias* non tollitur (*b*); nisi id *actum esse* intelligatur (*c*).

(*a*) STRVV. *S. I. F. c.* 14. *§.* 12.

(*b*) Iure communi *perseuerare* dicitur *vsusfructus viduae relictus: nisi ea lege datus sit, vt secundis nuptiis intereat. Auth. Hoc locum* C. *si secundo nupserit.* N. 22. *c.* 32. Neque vidualitium sua natura datur sub *modo* seruandae viduitatis, sed tantum in *euentum viduitatis:* ideoque ex conuentione vel dispositione constare oportet, illud datum esse sub *isto modo.* Argumentis et iudicatis hanc causam instruxit CRAMERVS *wetzlar. Nebenstunden P. IX. obs.* I. Idem ex moribus medii aeui illustrat *P. Wilh.* GERCKEN in *vermischt. Abhandlungen P. I. obs.* I. Conf. SENCKENBERG *med. iur. et hist. fasc.* I. *obs. III. per tot. de* LVDOLF de *iure fem. illustr. P. II. c.* 2. *§.* 20. *n.* 4. STRYK de *succ. ab int. diss.* 4. *c.* 2. *§.* 35. HORN in *I. F. c.* 21. *n.* 15. WERNHER *obs. for. P. VIII. obs.* 351. STRVBEN *Rechtl. Bedenken tom. I. N.* 124.

(*c*) Exempla, quibus *definite* datum est vidualitium, de eoque conuentum, vt vel *perduret* post contractas nuptias, (velut in *Cod. diplomat. de* GVDENVS tom. II. p. 1167.) vel per easdem *finiatur*, collegit ESTOR, posterius vero in casu *indefinitae concessionis* obtinere ex argumentis parum idoneis censuit in diss. de *dotalitio propter sec. nuptias cessante c.* 5. 6.

§. 334.

Si feudum eiusue pars in vidualitium aſſignatur: vxori competit plenum ius eodem vtendi et fruendi, non aeſtimandum ex principiis *iuris Romani* de vſufructu; cum ex obſeruantia, moribus Germanorum probata, deſcendat vſusfructus viduae, cuius intuitu non obſtringitur ad *cautionem vſufructuariam* (*a*).

(*a*) BERGER *l. c.* §. 34. *Ge. Frid.* DEINLEIN *de vidua vaſalli ab vſufructuaria cautione intuitu dotalitii immuni.* Recte monet *Ern. Mart.* CHLADENIVS in diſſ. *Ius viduae doariae an ſit merus vſusfructus?* §. 4. id pro vſufructu *iuris Romani* non eſſe habendum: quamquam non minus cauendum ſit, ne pro *dominio vtili* habeatur: quod viduae non competit, niſi ſit vidualitii nomine *inueſtita* (§. 330.).

§. 335.

III. *Alimentaria prouiſio feudalis* vocatur, *quidquid ex feudo alteri in vitae ſubſidia ex ſpeciali ratione praeſtandum eſt.* Iure communi non debetur, niſi 1) *ſucceſſori feudali* ob *mentis corporisue* vitium a ſucceſſione in feudo excluſo (*a*), et 2) ad *eius analogiam*, *filiabus* vltimi vaſalli; ſed vtrisque non niſi *in ſubſidium*, hoc eſt, in defectu *allodii paterni bonorumue propriorum*, quibus ſe poſſint idonee exhibere (*b*). In ea determinanda ſimul *obſeruantiae*, pactorum *familiae*, et *diſpoſitionis paternae* ratio habenda eſt (§. 306. 309.), quibus

et

et *quantitas* huius prouisionis definiri solet. Filiabus *nubentibus* ipsa sors, instar *dotationis*, *innuptis* vero vsurae *alimentorum* loco debentur (*c*).

(*a*) I. F. 6. II. F. 35.

(*b*) Ita secundum *I. F.* 6. et iuxta *analogiam L.* 5. *§.* 7. *D. de agnosc. et alend. liber.* WERNHER *P. V. obs.* 91. *Es. Frid.* PVFENDORF *obs. iur. tom. I. obs.* 68. STRVBEN *Rechtl. Bedenken tom. I. n.* 57. *de* CRAMER *tom. II. obs.* 613. Moribus Saxonum filiae, *bonis propriis* veluti maternis instructae, alimentaria prouisio ex feudo debetur. CARPZOVIVS *decis. illustr. Part. II. dec.* 175. STRVVIVS *obs. feudal. cap.* 14. *§.* 12.

(*c*) MEVIVS *P. II. dec.* 119. *P. III. dec.* 363. *et* 394. WERNHER *P. V. obs.* 91. B. Parens tom. II. *cons. et dec. resp.* 705. *n.* 17.

§. 336.

Lautius prospectum est filiabus *iure* et *obseruantia* nonnullarum prouinciarum. Iure *Megapolitano* vasallo absque sobole mascula defuncto, filiabus et ex filio neptibus in feudo, ad agnatos deuoluto, competit *ius vsufructuarium* ad vitae tempus, *Erbjungfern-Recht* (*a*). In feudis *Pomeraniae*, filiis non extantibus, viduae vltimi vasalli et filiabus nondum elocatis *vsusfructus feudi* debetur *per annum* (*b*).

(*a*) Priuilegium HENRICI *Duc. Megapol.* de a. 1471. in *Ge. Gust.* GERDESII *Sammlung Mecklenburg. Urkunden P. I. p.* 88. et *Henr.* HVSANI *Mecklenb. Lehnrecht c.* 17. *et* 33. *ibid. p.* 42. 56. *Casp. Matth.* MÜLLER *de virgine nobili Mecklenburgica eiusque circa feudum iure. Ern. Io. Frid.* MANZEL *de filia nobili vsufructuaria Mecklenburgica. Io. Henr.* BALECKE tract. *vom Erb-*

Jungfrauen-Rechte. *Mich. Euerh.* PREHN in diſſ. *de filia agnati ante virginem vſufructuariam defuncti, iuris vſusfructus experte*, Goetting. 1768.

(*b*) *I. Paul.* KRESS *de debitis ex feud. praecipue Pomeraniae ſoluend.* §. 35. *Ge.* ENGELBRECHT *de dotatione virginum nobilium in Pomerania.* *Io. Sam.* HERING *de iure virginum nobilium in feudis Pomeraniae orientalis.*

§. 337.

IV. *Legitima*, tamquam hereditatis pars, filiabus ex feudo non debetur: nec feudum in *legitimae computum* venit (*a*). Allodio vero ad *interuertendam legitimam* in feudum conuerſo, haec peti poteſt *ex pretio*, quod impenſum eſt in feudum (*b*).

(*a*) *Hartm.* PISTOR *quaeſt. iur. lib.* 2. *qu.* 38.

(*b*) *L.* 8. *C. de inofficioſis donat.* LEYSER *ad Pand. ſpec.* 91. *med.* 10. *Io. Gottl.* BAVER *de feudo inofficioſe quaeſito* §. 10. 20. *Io. Gottl.* SIEGEL *de legitima ex feudo petenda.* *Car. Ferd.* HOMMEL in progr. de *legitima filiarum ex feudo nouo* recte computanda. *Lipſ.* 1763. Idem *tom. II. obſ.* 372.

CAP. XII.

De iuribus et obligationibus domini et successorum feudalium erga heredes allodiales intuitu separationis feudi ab allodio.

ARGVMENTVM.

§. 338. *Separatio feudi ab allodio.*

339. *Quando ei locus sit?*

340. *Principia generalia in ea obseruanda.*

341. *Institui potest vel extraiudicialiter vel in iudicio.*

342. *In ea ineunda, probanda est qualitas feudalis bonorum.*

343. *Quatenus pertinentiae feudi praesumantur feudales.*

§. 344. *Quaenam pertineant ad allodium.*

345. *Quatenus fructus vltimi anni naturales et industriales ad allodium vel ad feudum pertineant.*

346. 347. *Quatenus fructus ciuiles?*

348. *Quatenus accessiones et meliorationes.*

§. 338.

SEPARATIO FEVDI AB ALLODIO est *actus, quo feudum a patrimonio allodiali, quod eiusdem vasalli est, ideo seiungitur, quod vtrumque diuersorum dominorum fieri incipiat.*

§. 339.

Obligatio ad allodium a feudo separandum nascitur, quoties feudum I. *vel iure successionis* ad successorem feudalem, qui simul heres non est

 aut

aut ſaltem non ſolus heres in allodio defuncti, *vel* quoties II. *iure aperturae* ad dominum, vel ad euentualiter inueſtitum, expectatiuariumque deuoluitur, *vel* quoties III. *allodium* ob aes alienum vaſalli ad *concurſum reuocatur.*

§. 340.

In ineunda ſeparatione omnia huc redeunt, vt 1) determinetur, quid ex bonis, eodem patrimonio vaſalli *coniunctis*, ad *feudum* et quid ad *allodium* pertineat? et 2) vt nihil agatur in *praeiudicium Domini*, cui et ius eſt *interueniendi* ad iura dominii directi tuenda.

§. 341.

Inſtitui poteſt tum *extraiudicialiter*, mutua ſucceſſorum feudi et allodii conuentione (§. 258.), tum *in iudicio*, mota deſuper actione in *foro ordinario* (*a*); quae eſt vel *vindicatio* ſingulorum bonorum, vel *generalis imploratio* pro inſtituenda ſeparatione feudi ab allodio. Cautela eſt, de ſeparatione *euentualiter* agi, viuo adhuc vltimo vaſallo: quod tamen fieri aliter non poteſt, quam conſentientibus his, quorum intereſt.

(*a*) Cauſa enim ſeparationis feudi ab allodio non eſt *cauſa feudalis* (§. 207. 224.) *Io. Vlr. de* CRAMER *obſ. iur. tom. I. obſ.* 393.

§. 342.

§. 342.

Cum res feudalis non fiat niſi per *infeudationem* (§. 46.), interueniente vel *inueſtitura* vel *praeſcriptione* (§. 105. 199.): conſequens eſt, vt bona, quae nec *inueſtitura* comprehenduntur, nec *praeſcriptione* feudalia facta eſſe probantur, *allodialium cenſu* habenda ſint. Allodialia ergo tamdiu *praeſumuntur* (*a*), donec infeudatione, datione vel oblatione in feudum, vel praeſcriptione *feudalia* facta eſſe *probentur:* quae probatio maxime ex *literis inueſtiturae* et *reuerſalibus*, nec non ex *dinumeramentis feudalibus* inſtrui poteſt.

(*a*) *II. F.* 26. *§.* 1. *Deciſ. Elect. Sax.* 37. MEVIVS *P. VII. dec.* 373. *Ge. Melch. de* LVDOLF *obſ. Cam. P. II. obſ.* 199. *Dav. Ge.* STRVBEN *Nebenſtunden tom. III. obſ. XVII. §.* 2. *et* 3. *Ahasu.* FRITSCHIVS *de literis reuerſalib. c.* 8. *§.* 6.

§. 343.

Idem obtinet de *pertinentiis* feudi, quae feudales non efficiuntur, niſi *inueſtitura* vel *praeſcriptione.* Per *deſtinationem* allodii vero in vtilitatem feudi, a ſolo vaſallo factam, multorum licet annorum vſu firmatam, non niſi *allodialis* feudi pertinentia efficitur (§. 53.). Feudi pertinentias itaque *feudales* eſſe, probandum eſt; niſi interueniat *ſpecialis praeſumtio* pro earum qualitate feudali. Talis eſt, ſi 1) inueſtitura facta eſt de *vni-*

verſitate rerum, v. c. de dynaſtia vel praedio, ſub clauſula generali *cum omnibus pertinentiis*, iisdem tamen non deſignatis (*a*); his enim deſignatis, ex ſola clauſula generali non poteſt inferri qualitas feudalis pertinentiarum non deſignatarum (*b*). Eadem 2) oritur ex qualitate *iurium realium*, fundo feudali inhaerentium (*c*).

(*a*) *Ge. Lud.* MENCKEN *de probatione pertinentiar. feudal.* §. 23. STRVBEN *l. c.* §. 4. B. Parens *conſult. et dec. tom. I. P. I. reſp.* 58. *n.* 9.

(*b*) LVDOLF *l. c. obſ.* 199. HERTIVS *vol. I. reſp.* 600. *n.* 30.

(*c*) *II. F.* 8. §. 1. STRVBEN *l. c.* §. 6. *I. Vlr. de* CRAMER *Wetzlar. Nebenſtunden P. XI. obſ.* 5.

§. 344.

Quae ergo bona *feudalia* eſſe non *probantur*, vel talia eſſe iure *praeſumuntur*, *allodialium* cenſu habentur. Horum numero ſunt 1) pertinentiae feudi *allodiales*, earumque fructus (*a*), 2) *ſuppellex* defuncti et *inſtrumenta fundi* cuiuscunque generis, 3) *mobilia* omnia et *immobilia*, a nexu feudali libera, et vna cum feudo ab eodem vaſallo poſſeſſa, 4) *fructus*, ex feudo percepti (*b*).

(*a*) *I. F.* 5. §. 1. *Gabr.* SCHWEDER de *fructibus feudi* §. 22. 23.

(*b*) Ampliſſimum rerum allodialium recenſum dat *Ge. Ad.* STRVVIVS in *Centuria deciſionum*, *quaenam res feudales*, *quaenam allodiales? Chriſt. Godofr.* HOFFMANN *de iure ſeparandi allodium a feudo cap. II.* Cauſam

ſam ſeparationis feudi ab allodio inſtruit *de* BENKENDORF in *oeconomia forenſi tom. IV.*

§. 345.

Quod attinet ad *fructus* feudi ex *vltimo anno*, quo vaſallus deceſſit, ratione fructuum, tam *naturalium* quam *induſtrialium*, iure Longobardico ſtatuta eſt norma (*a*), ex principiis *iuris Germanici*, de fructuum *per culturam* acquiſitione, *climati Italiae* attemperatis (*b*): videlicet vt vaſallo *ante Calendas Martias* defuncto, HEREDI FEVDALI, eoque *poſt Calendas Martii* et intra *Calendas Septembris defuncto* HEREDI ALLODIALI cedant. Quae diſpoſitio vi *iuris Longobardici recepti* tamdiu obtinet, donec aliud *iure particulari* ſtatutum eſſe appareat (*c*): niſi quod in fructibus, tardius pro climate Germaniae matureſcentibus, ad terminum *ad quem*, ad Calendas Sept. videlicet, reſpici nequeat, et hi tardius maturati ad heredes *allodiales* pertineant (*d*).

(*a*) II. F. 28. §. 2. *Quodſi vaſallus decedat ſine herede maſculo, et contingat feudum ad dominum reuerti, ſic diſtinguitur: quod ſi ante Martium, omnes fructus illius anni, ex feudo prouenientes, ad dominum pertinebunt: ſi vero poſt Calendas Martii vsque ad Auguſtum, omnes fructus, qui interim percipiuntur, ad heredes vaſalli pertineant. Si vero poſt Auguſtum, omnes fructus anni percipiet dominus. Quidam tamen dicunt, quocunque tempore anni decedat, omnes pendentes fructus ad dominum pertinere.* Conf. *Ad. Frid.* TRENTLENBVRG de *iure fructuum in ſeparatione allodii a feudo p.* 72. PVTTMANNI *obſ. iur. feud. cap.* 26.

(*b*) *Io.*

(*b*) *Io. Petr.* de LVDEWIG *de fructuum attributione tom. II. oper. miscell. p.* 1238. *Henr.* COCCEII *de iure seminis Sect. VI. §.* 1. B. Parens *de iuribus diuersis ex climatum diuersitate ortis §.* 22. *tom. I. exerc. p.* 296.

(*c*) Iure Saxonico fructus *industriales* cedunt heredi allodiali, si vasallus obiit post *peractam culturam*, et speciatim ratione *fructuum vindemialium*, post diem *Vrbani* XXV. Maii. Fructus *naturales* post *tricesimum* maturi, simpliciter cedunt successori feudali. *Ius Prou. Sax. lib. II. art.* 58. *Const. Sax. Elect. P. III. Const.* 32. De iure *Hassiaco* vid. *Died. Christ.* IHRINGK *de modo computandi fructus in separatione feudi ab allodio cap.* 6.

(*d*) *Hartm.* PISTOR *lib. I. qu.* 24. *n.* 28. STRVVIVS in *Synt. iur. f. cap.* 15. *aph.* 16. *n.* 4.

§. 346.

Ciuilium fructuum non omnino eadem ratio est. Qui si vi *priuilegii* vel *iuris realis*, feudo inhaerentis, percipiuntur, successori feudali simpliciter debentur. Sin *aliunde* et vi iuris communis feudalis percipiuntur, obseruandum est, 1) fructus *ex certo tempore* debitos heredi *allodiali* acquiri (*a*), cum dies eorum venit *viuo vasallo;* successori *feudali* vero, vbi dies eorum *post mortem vasalli* venit (*b*): 2) fructus autem, qui *singulis momentis* percipiuntur, pro *rata temporis*, quo vixit defunctus, inter heredem *allodialem* et *feudalem* diuidendos esse (*c*).

(*a*) *arg. L.* 7. *D. Soluto matrimon. L.* 26. *D. de vsufr.* STRVV. *l. c. cap. XV. §.* 16.

(*c*) Iure *Saxonico* attenditur, vtrum eorum dies *intra trigesimum* a morte defuncti diem venerit, nec ne? *Const.*

Conſt. Eelect. P. III. Conſt. 32. ibique CARPZOVIVS. HORN *de trigeſimo §.* 40.

(*c*) STRVV. *l. c. §.* 16. *n.* 7. *Gabr.* SCHWEDER *de fructibus feudi §.* 34.

§. 347.

Circa acquiſitionem fructuum ciuilium, qui in *locum fructuum naturalium et induſtrialium*, velvti per locationem feudi *fructuoſi*, ſurrogantur, ſeruandi ſunt termini iidem, qui in his ſunt conſtituti (§. 344.). Itaque feudo locato, ex quo *varii generis* fructus proueniunt, merces *iure ſingulorum fructuum*, in locatione comprehenſorum, aeſtimanda eſt (*a*).

(*a*) *Eſ. Frid.* PVFENDORF *obſ. iur. vniu. tom. I. obſ.* 185. *H.* PISTOR *Quaeſt. iur. lib.* I. *qu.* 25.

§. 348.

Acceſſiones naturales feudo cedunt et heredi feudali (*a*): *induſtriales* allodii iure cenſentur, et vel tolli poſſunt ab allodii herede, ſi *ſeparationem* admittunt, ſaluo iure heredis feudalis easdem *redimendi*, vel earum peti *aeſtimatio*, quoad ex iis feudi pretium auctum eſt (*b*). Ita comparatae, vocantur *meliorationes:* et datur heredi illarum nomine *actio* et *exceptio*, et quoad liquidae ſunt, *ius retentionis* (*c*). Iure communi *aedificia*, fundo feudali impoſita, *meliorationum* iure cenſentur (*d*).

(*a*) I.

(*a*) I. F. 4. §. pen. *Gabr.* SCHWEDER *de meliorationibus feudi cap. III.* §. 2. 7. 10.

(*b*) *II. F.* 8. §. 1. *II. F.* 28. §. 2. L. 38. *D. de rei vind. Hartm.* PISTOR *quaest. iur. lib. II. qu.* 42. *n.* 14.

(*c*) *Es. Frid.* PVFENDORF *l. c. tom. II. obs.* 130.

(*d*) *II. F.* 28. §. 2. PVFENDORF *l. c. tom. I. obs.* 183. 184. *tom. IV. obs.* 259. Aliud iure *Saxonico. Ius Prou. Sax. lib.* 2. *tit.* 21. *Const. Sax. Elect. P. III. const.* 31. *Petr.* MVLLER *de aedificio praedii nobilis.*

SECTIO

SECTIO III.

DE

MODIS SOLVENDI NEXVM FEVDALEM.

CAP. I.

De modis amittendi feudum.

ARGVMENTVM.

§. 349. *Modi amittendi et finiendi feudum.*
350. *Felonia in genere spectata.*
351. *Felonia vasalli.*
352. *Quomodo committatur?*
353. *Poena feloniae.*
354. *Non ipso iure obtinet, sed praeuia sententia.*
§. 355. *Ius domini eam remittendi.*
356. *Poena priuationis pertinet ad delinquentis descendentes,*
357. *non vero ad agnatos innocentes.*
358. *Quasi felonia.*
359. *Felonia domini.*

§. 349.

Nexus *feudalis dissoluitur*, quoties existere desinit obligatio mutua inter dominum et vasallum intuitu feudi contracta. Quod contingere potest vel ex *causa priuationis* vel ex *alia* causa ac per eam. Si prius; in specie vocatur modus *amittendi* feudum: sin posterius, modus *finiendi* feudum. Prius fit per feloniam.

§. 350.

§. 350.

FELONIA (*a*) in genere eſt *violatio fidelitatis, intuitu feudi praeſtandae.* Si talis actu eſt, committitur *vera felonia*: ſin talis actu non eſt, ſed ratione *effectus* tantum pro tali habetur, eſt *quaſi felonia.* Cum mutua ſit fidelitas feudalis: felonia *vera* non minus in *vaſallum* quam in *dominum* cadere poteſt. Prout dolo vel culpa committitur, *doloſa* eſt vel *culpoſa.*

(*a*) Vulgo *Lehns-Fehler*: Longobardis frequenter *culpa.* Conſpirat vox Germanica *fehlen*, delinquere, errare. Varias de origine vocis ſententias vid. in *Henr.* SPELMANNI *gloſſ.* voce *felo.* HALTAVSII *gloſſar. Part. I. p.* 435. et WACHTERI *gloſſar. p.* 434.

§. 351.

FELONIA VASALLI eſt *violatio fidelitatis vel reuerentiae ſpecialis vaſalliticae* (§. 215. 216). Hinc 1) non intelligitur, niſi poſita *obligatione* vaſalli ad *officium fidelitatis* et *reuerentiae ſpecialis*, de cuius violatione agitur (*a*). Quae illius intuitu vaſallo proſunt *excuſationes*, etiam *a felonia* liberant (*b*). Et cum 2) *vaſalli* nomine veniat is, *cui feudum conſtitutum eſt* (§. 87.), felonia cadere poteſt tum in *vaſallum principalem*, tum in eos, qui vel ſub *inueſtitura primi acquirentis*, tum ſub *inueſtitura ſimultanea* vel *euentuali* comprehenduntur (§. 120. 155. 157.) (*c*).

(*a*) *II.*

(a) *II. F.* 24. *§.* 1. *II. F.* 26. *§.* 16.
(b) *II. F.* 28. *II. F.* 52. *in f. I. F.* 22. *pr.*
(c) *II.* F. 51. *§.* 1. *Ern. Henr.* MYLII diff. *de felonia ante praestitum fidelitatis iuramentum commissa §.* 10. *f.*

§. 352.

Quoniam fidelitas et specialis reuerentia vasalli versatur in exsoluendis officiis *lege* et *contractu feudali* definitis, maxime iis, quae in domino non laedendo aliorumque laesionibus ab eo auertendis consistunt (§.215.216.): felonia committi potest I. *actionibus, ad dominum* intuitu vitae, corporis, honoris bonorumque *laedendum comparatis:* vtpote *insidiis vitae* structis (*a*); *proditione* (*b*); *inuasione* bonorum; negatione infitiationeque rei feudalis (*c*); *iniuria* verbis factisque illata (*d*); veluti stupro *vxori, filiae* eius vel ex *filio nepti*, sororiue *nondum nuptae* illato (*e*); *accusatione* et *testimonio* in causa *criminali* (*f*); reuelatione *arcanorum* in eius praeiudicium (*g*): II. *neglectis officiis, ad aliorum laesiones a Domino auertendas comparatis*, quibus v. c. *periculum* vitae, honori, bonisue eius imminens *adiuuando* vel saltem *manifestando* auertere neglexit (*h*), in periculo versantem temere *deseruit* (*i*), debita *seruitia* denegauit (*k*): III. *neglectis officiis, ad quae ex lege et contractu feudali tenetur*, si v. c. debito tempore dolo non petiit *inuestiturae renouatio-*

R *nem*

nem (§. 191.), *fidelitatis iuramentum* praestare contumax recusauit (§. 217.) (*l*), feudumue sine domini consensu *alienauit* in *extraneum* (§. 272.).

(*a*) I. F. 5. I. F. 17.
(*b*) II. F. 57.
(*c*) II. F. 26. §. 3. et 19.
(*d*) II. F. 24. §. 5.
(*e*) I. F. 5. pr. II. F. 24. §. 4. *Io. Henr.* SCHWARTZ diss. de *felonia vasalli ex causa adulterii et stupri. Gottfr.* SCHLEENSTEIN *de felonia cucurbitationis* Vit. 1676.
(*f*) II. F. 33. §. 5. II. F. 28. §. 2.
(*g*) I. F. 17. II. F. 5. et 7. STRYK *de credentiae reuelatione c.* 3.
(*h*) II. F. 24. §. 2.
(*i*) I. F. 5. pr. I. F. 21. §. vlt. II. F. 24. §. 2.
(*k*) I. F. 21. pr. II. F. 24. §. 7. II. F. 55. §. 1.
(*l*) II. F. 24. §. 1.

§. 353.

Poena *priuationis feudi* ob feloniam est *iuris positiui* (*a*): nec tamen ex rationibus iuris Longobardici obtinet nisi ob *dolum*. Ius Longobardicum in causis priuationis feudi *generatim* definiendis vtitur principio reductionis (*b*): *vt quae sint causae exheredationis*, *donationisue ob ingratitudinem reuocandae*, *et repudii*, quae omnes *dolosam laesionem* continent, hae si in *vasallum* cadant, *talia in dominum molientem*, locum faciant feudi priua-

priuationi. Ob *caufas* feloniae *leuiores* et ob *doli defectum* amiffioni locus non eft (*c*), fed *mulctae arbitrariae* (*d*).

(*a*) *Obf. iur. feud. obf. IV.* §. 1. *p.* 108. *Chrift.* WOLFFII *Ius Nat. tom. VI.* §. 450.

(*b*) II. F. 23. pr. II. F. 24. §. 9.

(*c*) II. F. 23. requiruntur *egregiae ingratitudinis caufae.*

(*d*) *Ius feud. Alem. c.* 115. §. 6. 7. B. Parens *Conf. et Dec. tom. I. P. II. refp.* 135. 142.

§. 354.

Poena feloniae decernenda eft in iudicio feudali, *probata* felonia, cognitisque omnibus facti circumftantiis (*a*): eoque nomine *Domino* datur ius eandem perfequendi per *condictionem caufa data caufa non fecuta* (*b*). Feudum itaque *non ipfo iure* amittitur, fed *per fententiam* iudicis (*c*): excepto cafu alienationis feudi in extraneum fpreto domini confenfu confummatae (§. 272.). Ceterum ex natura inftituendae actionis intelligitur, *fructus*, a tempore feloniae perceptos, fimul repeti poffe, faluis omnino feudi *meliorationibus* (*d*).

(*a*) *I. F.* 22. *II. F.* 28. §. 1.

(*b*) *I. F.* 21. *II. F.* 24. §. penult.

(*c*) *Cit. text. Ius feud. Al. c.* 72. §. 2. arg. *L. vlt. C. de reuocand. donationib.* Hanc caufam, expofitis diffentientium argumentis, tractaui in tr. *de nat. expectat. et inueftit. feud. c.* 5. §. 129. *feq.*

(*d*) *arg. L.* 38. *§.* 1. *de Vſuris.* STRVV. *S. I. F. cap.* 15. *§.* 11. *n.* 4. *§.* 17. *n.* 1.

§. 355.

Cum ius perſequendi poenam feloniae ad *iura Domini* pertineat: 1) in *ſolius Domini* arbitrio poſitum eſt, vtrum *iure* ſuo vti, an vaſallo *gratiam feloniae* facere velit, idque fieri non modo *expreſſe* poteſt, ſed et *tacite*, v. c. inueſtiturae conceſſione vel ſeruitiorum denunciatione et acceptatione, a ſciente domino facta (*a*). Et cum 2) actio, ad priuationem feudi tendens, ad vindicandam domini offenſionem pertineat: haec neque *domini heredibus* neque in *vaſalli heredes* datur, niſi praeparata (*b*).

(*a*) *Ius feud. Alem. c.* 60. *§.* 2. *II. F.* 31. *Henr. a* ROSENTHAL tr. *iur. feud. cap. VI. concl.* 61. *cap. X. concl.* 39. 40. VVLTEIVS *de feud. lib. I. c.* 11. *n.* 63. STRYK *de culpa vaſallo remiſſa cap. III.* *Ge. Henr.* BRVCKNER *de remiſſione feloniae tacita.* Diſſent. *Iac. Car.* SPENERVS *de tacita remiſſione feloniae cap. III.*

(*b*) arg. *L.* 7. *et vlt.* C. *de reuocand. donat. II. F.* 24. *§.* 9. *Hartm.* PISTOR *quaeſt. iur. lib. I. qu.* 35. WERNHER *obſ. for. P. X. obſ.* 416. STRVVIVS in *Synt. iur. feud. c.* 15. *th.* 12. Diſſ. mea *de inueſtiturae ſimult. non deſiderata renouat. c. IV. §.* 55. et tr. *de natura expect. et inueſtit. feud. c. V. §.* 133.

§. 356.

Priuatione feudi ob feloniam decreta, ius *vaſalli* in feudo, indeque dependens ius *deſcendentium*

tium ipſius extinguitur: feudum amiſſum vero ad *Dominum* reuertitur, eiusque eſt, quousque vaſallus et eius deſcendentes ſuperſunt (*a*).

(*a*) II. F. 31. *Vaſalli feudum delinquentis, licet ad agnatos quandoque pertineat, filius tamen ad id nullatenus adſpirabit; niſi id iterum a domino licite acquirat ſibi gratiam faciente.* Aequior ſententia olim obtinuit *iure feud. Alem. c.* 89. §. *vlt. Die Kind ſollent des Vatter Schulde nütt entgelten, do ſie ſelber Schulde nütt enthant; wenne das wer wider Gott und wider das Recht.*

§. 357.

Poena priuationis produci non poteſt ad eos, quibus felonia *imputari* nequit, quorumque *ius in feudo* a iure vaſalli *independens* eſt. Itaque 1) ſalvum eſt ius ſuccedendi *agnatorum* et *ſimultanee inueſtitorum:* iisque inde, iure et tempore *delatae ſucceſſionis*, competit ius feudum *reuocandi*, ſiue ſit feudum *antiquum*, ſiue nouum, *iure antiqui* conceſſum (*a*): 2) ſaluum eſt ius vaſalli, *pro-vaſallo* feloniam committente; ideoque *eccleſia* vel *vniuerſitas* feudo priuari nequit ob feloniam prouaſalli (*b*).

(*a*) *II. F.* 26. §. 17. *Si vaſallus culpam committat, propter quam feudum amittere debeat: neque filius neque eius deſcendentes ad id feudum reuocabuntur; ſed agnati, qui quarto gradu ſunt: dummodo ad eos pertineat.* II. F. 31. in f. ad reuocandum feudum admittuntur *agnati vsque ad infinitum, dum tamen hoc conſtet, ab eo per maſculos deſcendiſſe. Ern. Chriſt.* WESTPHAL duplex diſſ. *de effectu feloniae quoad ſucceſſores feudales legitimos, et quoad ſucceſſores feudales praeter legitimos.*

(*b*) II. F. 40. §. vlt. ROSENTHAL *de feud. cap.* 6. *concl.* 4. *n.* 2. BESOLDVS *p.* 6. *conſ.* 259. *n.* 40.

§. 358.

Datur etiam QVASI FELONIA vaſalli, quae talis actu non eſt, ſed pro tali ideo habetur, quoniam a vaſallo commiſſum eſt *delictum*, *ob quod ex ſpeciali iuris diſpoſitione conſtituta eſt priuatio feudi*, *etiamſi illud in Dominum non ſit commiſſum*. Committitur per delicta, in quae vel *iure feudali Longobardico* vel *legibus imperii* ſtatuta eſt *priuatio feudi*. Ad *illa* pertinent delicta, quibus feudo *indignus* iudicatur vaſallus, veluti *fratricidium*, *feudi conſequendi cauſa* commiſſum, vel *proditio conuaſalli*: ob quae feudum *amiſſum* non deuoluitur ad Dominum ſed ad *proximum ſucceſſorem* (*a*). Ad *haec* pertinet tum *crimen laeſae maieſtatis*, in Imperatorem vel Electores Imperii commiſſum, cuius reus ſimul priuatur feudis, ab *alio domino* recognitis, *ad hunc* deuoluendis, ſaluo iure ſuccedendi agnatorum (*b*); *tum crimen fractae pacis publicae*, cuius reus feudis omnibus priuatur per vitae ſuae tempus (*c*).

(*a*) *II. F.* 37. *Si quis interfecerit fratrem Domini ſui, non ideo beneficium amittit: ſed ſi fratrem ſuum interfecerit ad hoc, vt totam hereditatem habeat, vel aliam feloniam commiſerit, v. c. hominem tradendo, vt in Curia amplius ſtare non poſſit, priuabitur beneficio. Quia tamen erga Dominum non fuerit facta, ad agnatum proximiorem feudum pertinebit.* Conf. II. F. 24. §. 11.

§. 11. In cit. text. casum poni, quo vasallo delinquenti *non sunt filii*, probabile est. Hinc aequior sententia est, ad *filium* perinde ac ad *agnatum* feudum pertinere; eaque sententia approbata est *Iure Sax. Elect. P. III. Const.* 27. HORN *I. F. c.* 23. §. 22. *in f.*

(*b*) *Aurea Bulla cap.* 24. *Capitulatio Imperat. nouiss. art.* 20. *Jedoch so viel die Particular-Lehn, so nicht immediate von uns und dem Reich, sondern von andern herrühren, betrift, dem Lehn-Herrn, seinen Recht- und Gerechtigkeiten unbeschadet.*

(*c*) *Constitut. vom Landfrieden de a.* 1548. *tit.* 3. §. 1. *Ord. Cameral. de a.* 1555. *P.* 2. *tit.* 10. §. 2.

§. 359.

FELONIA DOMINI committitur *violatione fidelitatis, quam dominus debet vasallo* (§. 249.). Iure feudali aestimatur *ex analogia feloniae vasalli*, statuta poena *priuationis dominii directi*, quod ad vasallum deuoluitur (*a*). *Prodomino* feloniae reo facto, poena priuationis produci nequit ad eum, penes quem est dominium feudi directum, veluti ad *principatum*, ad *ecclesiam*, ad *vniuersitatem*, ad *integram familiam*. Ex quo intelligitur, in feudis *publicis*, vel in feudis, quorum *prodominium* tantum penes *dominum feudi* est, locum non esse poenae priuationis (*b*).

(*a*) *II. F.* 26. §. 21. *Domino committente feloniam, vt ita dicam, per quam vasallus amitteret feudum, si eam committeret, quid obtinere debeat de consuetudine? quaeritur. Et respondetur, proprietatem feudi ad vasallum pertinere, siue peccauerit in vasallum, siue in alium. II. F.* 47.

(*b*) De iuſta *applicatione* huius poenae magis quaerendum, quam de *vſu iuris Longobardici ambigendum eſt.* Diuerſas interpretum ſententias exhibent ſcripta *Gabr.* SCHWEDERI *de felonia domini*, *Chriſt.* THOMASII *de felonia domini*, in eius *ſelect. feud. tom. II. p.* 275. *Henr.* HILDEBRAND *de vſu et non vſu iuris circa feloniam domini*, GVNDLINGII in *Gundlingianis Part.* 42. *N. I. p.* 104. *ſ.*

CAP. II.

De modis finiendi feudum.

ARGVMENTVM.

§. 360. *Feudum finitur I. interitu*,
361. *II. Conſolidatione, quae duplex eſt.*
362. 1) *Conſolidatio in ſpecie ſic dicta ponit feudum apertum.*
363. *Modi, quibus fit apertum.*
364. *Quomodo fiat conſolidatio in feudo aperto.*
365. *In perſona prodomini non fit conſolidatio.*
366. *Ius domini feudum conſolidandi vel reinfeudandi.*
§. 367. *Conſolidatio ratione effectus perpetua vel temporaria.*
368. 2) *Appropriatio feudi* a) *per refutationem dominii directi,*
369. b) *per praeſcriptionem.*
370. *Effectus appropriationis.*
371. *Morte domini ſine prole, non contingit.*

§. 360.

Sequuntur modi finiendi feudum. Finitur I. *totius rei infeudatae interitu,* quo et vtrumque dominium, directum et vtile, eſſe deſinit. *Parte feudi* intereunte, feudum in reliqua parte ſubſiſtit. Itaque

que *area* manet feudalis, *aedibus* licet igne consumtis: eaeque a vasallo restitutae, *feudales* sunt (*a*).

(*a*) *II. F. 28. §. 2.*

§. 361.

Finitur II. CONSOLIDATIONE FEVDI, quae in sensu *generali* est *coniunctio vtriusque feudi dominii, directi et vtilis, in eadem persona.* Duplex est, vel CONSOLIDATIO *in specie* sic dicta, quae est coniunctio vtilis feudi dominii cum directo *in persona Domini*, vel APPROPRIATIO, *Lehns-Vererbung*, quae est coniunctio dominii directi cum vtili *in persona vasalli.*

§. 362.

Vt feudum *consolidetur*, id prius *Domino aperiri* oportet: quod fit, *si domino defertur feudum, extincto iure eorum*, *quibus feudum eadem infeudatione constitutum est* (§. 45.). Quod cum duplici modo vel *simpliciter* vel *ad tempus* Domino apertum fieri possit (*a*): consolidatio quoque duplex est, vel *perpetua* vel *temporaria.*

(*a*) tract. *de natura expectat. et inuestit. feud. cap. I. §. 1. s.*

§. 363.

Casus *aperturae* feudi est casus *consolidationis.* Potest vero feudum *domino* fieri *apertum* tum I.

ex *natura contractus feudalis*, vt 1) *morte vasalli* absque vllo successore feudali, vel in inuestitura primi acquirentis vel simultanea inuestitura comprehenso, (§. 111. 156.), 2) *lapsu temporis*, ad quod feudum nominatim constitutum est, nec non resoluto iure concedentis (§. 288.), 3) *felonia* vasalli in *Dominum* commissa feudique *priuatione* ob illam *decreta* (§. 355.): tum II. *alio modo*, qui *a contractu feudali non dependet*, vt 1) *refutatione feudi* in manus *domini* simpliciter facta (§. 255.), quo inuolucro *translatio dominii vtilis in Dominum*, quolibet titulo facta, explicari solet, et 2) *praescriptione dominii vtilis* (§. 202.).

§. 364.

Feudi aperturam insequitur *consolidatio*, ipsa videlicet coniunctio dominii vtilis cum dominio directo, quae peragitur *declaratione Domini* ea de re *expresse* vel *tacite* interposita. In feudis *publicis* consolidandis vocatur *incorporatio*, eo quod feudum consolidatum in corpus bonorum publicorum redigatur (*a*).

(*a*) *Henr. de* ROSENTHAL *de feud. cap.* 4. *concl.* 35. *n.* 4. 7. *Lud.* SCHRADER *in tr. feud. P. IV. c.* 2. *n.* 24. *Car. Ad.* BRAVNII diss. *de re infeudari solita cap. III.* §. 16.

§. 365.

§. 365.

Ex quibus consequitur, vt si *vasallus* fiat *eiusdem feudi prodominus*, vel prodominus acquirat *eiusdem feudi dominium vtile*, consolidatio non contingat. Vtroque enim casu *dominium directum* permanet penes eum, cuius *iura* exercet prodominus, v. c. penes vniuersitatem, ecclesiam, principatum (*a*).

(*a*) diss. mea de *impedita feudi consolid.* cap. I. §. 7. 10. *Clemens* VAILLANT *Opuscule*, *que par l'Elevation du Vassal à la dignité Royale les Fiefs*, *qu'il avoit auparavant*, *ne sont unis au Domaine public.* Paris 1598.

§. 366.

Competit Domino ius *liberum*, feudum sibi apertum, vel *consolidandi* vel *reinfeudandi* (§. 49.), nisi alterutrum ius ex ratione speciali impediatur. *Consolidatio* vel *reinfeudatio impedita* vocatur, *quae ob rationes speciales in feudo aperto locum habere non potest* (*a*).

(*a*) Rationes consolidationem impedientes exposui in cit. *diss. cap. II.* §. 13. *s.*

§. 367.

Consolidationi PERPETVAE locus est, si per aperturam extinctum est ius *eorum omnium*, quibus feudum eadem infeudatione constitutum est, TEMPORARIAE vero, si per eam extinctum est ius

ius *vaſalli eiusque deſcendentium*, ſaluo *iure ſuccedendi* agnatorum vel ſimultanee inueſtitorum. Itaque conſolidatio temporaria obtinet, ſi feudum domino fit apertum vel per *feloniam vaſalli* (§. 357.), vel per *praeſcriptionem*, quae agnatis non currit niſi a tempore delatae ſucceſſionis (§. 277.), vel per *refutationem*, non conſentientibus agnatis, factam. Cum in his aperturae caſibus praeiudicium inferri nequeat *iuri ſuccedendi agnatorum:* his, veniente ſucceſſionis caſu, competit ius a *Domino reuocandi* feudum conſolidatum.

(*a*) *II. F.* 15. *II. F.* 26. *§.* 13. *Io. Godofr.* BAVER *de conſolidatione feudi temporaria §.* 12. 34. 44. *tom. II. opuſc.* N. *XLVIII.*

§. 368.

APPROPRIATIO FEVDI contingere poteſt modis omnibus, quibus *dominium directum* acquiri poteſt *a vaſallo* (§. 361.). Fit 1) *refutatione* dominii directi in *fauorem vaſalli:* quae tum mutua domini et vaſalli *conuentione*, eaque vel *gratuita* vel *oneroſa* (*a*), tum etiam *inuito vaſallo* (*b*), a Domino peragi poteſt (§. 210.), et ſic feudum mutari in *allodium.*

(*a*) *Gabr.* SCHWEDER *de appropriatione feudi cap.* 2. *§.* 4. 12. *God. Daniel* HOFFMANN *de appropriatione feudorum §.* 20. 25. *Iac.* BORN *de transmutatione feudi in allodium. Dav. Ge.* STRVBEN *Rechtl. Bedenken tom. II.* N. 38.

(*b*) *arg. II. F.* 38.

§. 369.

§. 369.

2) *Praeſcriptione* feudum mutatur in allodium, ſi vaſallus per poſſeſſionem rei feudalis, *tamquam allodialis*, per XXX. annos bona fide continuatam, acquirit dominium directum. In poſſeſſione feudi, *tamquam allodii,* vaſallus conſtitui nequit, niſi interueniente facto, quo ſibi, *domino acquieſcente*, tribuit *allodialem* eius qualitatem. Sola neglecta *exactione ſeruitiorum* vel *inueſtiturae*, non amittitur dominium directum; nec id acquiritur ſola *negatione ſeruitiorum*, niſi negata ſint ob aſſertam *qualitatem allodialem* (*a*). Extraneo, in quem feudum *alienatum* eſt tamquam *allodium*, praeſcriptio non proficit *contra dominum*, niſi ſit *immemorialis* (§. 272.) (*b*).

(*a*) STRVVII *S. I. F. cap.* II. §. 3. C. *Ad.* de BRAVN von *Verwandelung des Lehns in Erbe durch Verjährung* in ZEPERNICK *Abh. aus dem Lehnrecht tom. I. obſ.* 3. *Io. Lud.* SCHMIDT *de praeſcriptione feudali acquiſitiua* §. 13. *Io. Bernh.* FRIESEN *de feudi in allodium praeſcriptione.*

(*b*) *II. F.* 55. *Iac. Henr.* ZOLL *de feudi per vaſallum alienati praeſcriptione contra dominum directum* §. 13. STRVBEN *Rechtl. Bedenken tom. II.* N. 106.

§. 370.

Cum tota ratio *appropriationis* conſiſtat in coniunctione dominii directi cum vtili in perſona vaſalli (§. 360.): 1) eadem quidem *finitur* feudum, idque in *allodium* mutatur, vaſallo a nexu *fidelitatis*

tatis

tatis et *seruitiorum* liberato (*a*): non vero 2) extinguuntur *iura*, PRAEDIO inhaerentia, a nexu feudali non pendentia, veluti iura immunitatis, nobilitatisque realis (*b*); nec 3) per eam praeiudicium inferri potest *iuri succedendi* agnatorum vel simultanee inuestitorum in bonis appropriatis, vel iuribus per *pacta familiae* legitime constitutis (*c*). Ceterum 4) loco *seruitiorum feudalium* aequum est praestari *annuam pensionem*, mutuo domini et vasalli consensu definiendam (*d*).

(*a*) Appropriationis, in feudis *Brigensibus* a IOSEPHO a. 1705. plenissime indultae, formulam habet *Io. Petr. de* LVDEWIG *in reliq. Manuscript. med. aeui tom. VI. p.* 94. Varia appropriationis documento exhibet *Godofr. Dan.* HOFFMANN *de appropriatione feudorum p.* 52. *seq.*

(*b*) HOFFMANN *l. c.* §. 43. Conf. *Königl. Preussische Assecuration vor die Ritterschaft in der Chur-Marck Brandenburg* de dato Berlin d. 30. Iun. 1717. §. 3. verb. *solche zu ewigen Zeiten von allen oneribus, als contribution, so wie itzo, also auch künftig überall gäntzlich befreyet bleiben.*

(*c*) vid. cit. *Assecuratio* §. 1. 2. 4.

(*d*) *Assecuratio citat.* §. 6. *dass die von der Ritterschaft pro annuo Canone künftig zu erlegende* 40. *Thaler nicht anders, als ein purum surrogatum an statt der sonst aufgebrachten Ritter-Pferde und geleisteten Lehns-Onerum considerirt werden können. Io. Car.* WOLTAIR de *feudis Marchicis allodificatis censuali qualitati haud obnoxiis*, Halae 1772.

§. 371.

Per *Mortem Domini absque herede legitimo* dominium directum non deuoluitur ad vasallum, a domi-

dominio vtili quippe prorſus *independens;* ideoque locus non eſt appropriationi. Itaque proſapia domini extincta, dominium directum, intuitu *feudorum publicorum*, manet in *dominio publico territorii*, et cum hoc tranſit in territorii ſucceſſores: intuitu *feudorum priuatorum* vel in dominum feudi ſuperiorem deuoluitur, ſi eſt *feudale*, vel in heredes domini allodiales, et in fiſcum, ceu vltimum ſucceſſorem, ſi eſt *allodiale* (§. 209.) (*a*). Neque aliud obtinet in *feudis oblatis* (§. 46.), cum *vi oblationis* dominium directum *pleno iure* fiat *eius, cui offertur*, et *independens* a vaſallo offerente, a quo *nihil reſeruatum* eſt, niſi dominium vtile.

(*a*) *Io. Ad.* KOPP in *Proben des Teutſchen Lehnrechts Part. II. obſ. II. vom Heimfall des Obereigenthums an die Lehnleute §.* 13. *p.* 120. 179. HORNII *iurispr. feud. cap.* 22. *§.* 2. STRYK *de ſucceſſione ab int. diſſ.* 5. c. 2. §. 7. Emortuis a. 1713. Comitibus *de Limburg*, haec quaeſtio diſputata eſt intuitu nonnullorum praediorum, quorum *appropriatio* deſiderata eſt *a vaſallis.* Vid. *Io. Henr.* BOCRISIVS in *obſeru. iuris feud. Germ. obſ.* 28. KOPP *l. c. pag.* 225. 277. de CRAMER *obſ. iur. tom. IV. obſ.* 1275.

SECTIO

SECTIO IV.

DE
IVDICIO FEVDALI.

ARGVMENTVM.

§. 372. *Iudicium feudale.*
373. 1) *Caussae feudales.*
374. *Petitoriae et possessoriae.*
375. 2) *Remedia iuris.*
376. *Petitoria et possessoria.*
377. 3) *Forum feudale.*
378. *Eius competentia.*
379. *Ei subsunt omnes eiusdem curiae vasalli?*
§. 380. *Forum ordinarium quando competens?*
381. *Quatenus competens sit ex continentia caussae?*
382. *et ex defectu iudicis feudalis?*
383. *Forum feudale superius appellationis.*
384. 4) *Quid in tractatione iudiciali observandum.*

§. 372.

IVDICIVM FEVDALE est *legitima caussae feudalis disceptatio, coram iudice iuris sui persequendi caussa suscepta.* Pertinent ad hoc I. *caussae feudales*, de quibus solis est iudicium feudale (§. 224.); II. *remedia*, iuris sui persequendi caussa comparata; III. *forum competens*, et IV. ipsa *legitima caussae disceptatio.*

§. 373.

I. CAVSAE FEVDALES non sunt, nisi quae concernunt *iura et obligationes ex feudo constituto oriun-*

oriunda, quae tantum inter dominum et vasallum et inter vasallos eadem infeudatione comprehensos, inter se oriuntur (§. 207.). Quoties ergo I. agitur de iuribus et obligationibus, quae ex *inuestitura* eiusque *pactis*, nec non ex *essentia* et *natura dominii directi et vtilis*, *fidelitatisue mutuae feudalis* descendunt, toties est causa feudalis; siue de his agatur inter *dominum* et *vasallum*, siue inter *conuasallos (a)*. Contra ea II. causa feudalis *non est*, si tantum agitur vel 1) de feudo vi promissionis *constituendo (b)*, vel 2) de iure et obligatione domini et vasalli, *aliunde* quam ex *feudo constituto* descendente, veluti de debitis ex feudo praestandis (*c*), vel 3) si inter vasallum et *tertium* de hoc ipso, vtrum *feudum* an *allodium* sit, contenditur *(d)*, v. c. in separatione feudi ab allodio (§. 341.), in vindicatione feudi a tertio, qui id possidet pro allodio *(e)*.

(*a*) *I. F.* 10. 12. 18. 23. 25. *II. F.* 16. 20. 22. 26. 34. 39. 43. 55. §. vlt. *Huld. ab* EYBEN *de caussis feudalibus Sect. II. in op. p.* 651. *Ioach.* HILDEBRANDT *de recursu inordinato ad curias feudales in caussis non feudalibus Sect. II. Io. Tob.* REINHARDT *de iurisdictionis allodialis et feudalis conflictu §.* 9. 13. *de* CRAMER *obs. iur. tom. I. obs.* 47. *tom. II. obs.* 506. 517. *§.* vlt. 585. et in *Nebenstunden P.* 71. *p.* 55. MOSER *Teutsche Lehns-Verfassung p.* 597. 683. 723.

(*b*) veluti ex *expectatiua.* SCHRADER *tr. feud. Part. X. Sect.* 6. *n.* 197. ROSENTHAL *de feud. cap.* 12. *concl.* 4. *n.* 1. 24. 40.

(*c*) *Obs.* meae *feud. obs. XII. §.* 6. *de* CRAMER *in syst.*

proc. Imp. §. 162. de PVFENDORF *tom. IV. obſ.* 174. KOBII tr. *de pecunia mutuatitia tuto collocanda cap.* 3. §. 93.

(*d*) MYNSINGER *cent. V. obſ.* 75. *n.* 6. 7. SCHRADER *de feud. P. X. Sect. VI. n.* 135.

(*e*) arg. *c.* 5. *X. de foro competent.*

§. 374.

Cauſa feudalis eſt vel *cauſa proprietatis*, vel *cauſa poſſeſſionis* (*a*): illa concernit *ius ipſum*, quoad *domino* vel *vaſallo proprium* eſt; ſiue id ex iure in re ſiue ex iure ad rem deſcendat: haec concernit *poſſeſſionem vel quaſi illius iuris*. Illa *petitoria*, haec *poſſeſſoria* vocatur.

(*a*) arg. *tit. decretal. de cauſa proprietatis et poſſeſſionis.*

§. 375.

II. REMEDIA IVRIS, ad cauſas feudales perſequendas comparata, nulla alia ſunt, quam *iure Romano* prodita, et ex *eius analogia* huc applicata. In ſubſidium locus eſt *condictioni ex Lege*, vel *implorationi officii iudicis.*

§. 376.

Sunt illa vel *remedia petitoria*, vel *poſſeſſoria* (§. 374.). PETITORIA dantur ad perſequendum tum *ius in re*, tum *ius ad rem* intuitu feudi. Ex inueſtitura et inde deſcendente iure ſuccedendi competit *rei vindicatio*, actio *publiciana* et *confeſ-*

ſoria.

ſoria. Ad diuiſionem agitur *communi diuidundo.* Ex *contractu feudali* agitur ad ea, quae vltro citroque praeſtanda ſunt a domino et vaſallo: et ob eius violationem *condictione cauſa data cauſa non ſecuta* (§. 354.), ſeu actione *feudi reuocatoria.* POSSESSORIA non minus dantur ad adipiſcendam *vtili quorum bonorum interdicto* poſſeſſionem, quam ad eam *retinendam*, vel ad eandem per *remedium ſpolii* recuperandam (*a*).

(*a*) HORN *Iurispr. feud. c.* 24. *Barth. Leon.* SCHWENDENDORFER *de actionibus feudalibus.*

§. 377.

III. FORVM FEVDALE eſt *locus exercendae iurisdictionis feudalis:* idque *vel* 1) ex regula eſt coram *Domino* et *curia Parium* (§. 224. 227.) (*a*), in cuius locum hodie conſtituta ſunt iudicia feudalia (§. 227.); ideoque et in ſubfeudis coram ſubdomino feudi (*b*): *vel* 2) in ſubſidium coram *iudice ordinario*, ſi dominus *iurisdictione deſtituitur*, vel huic ex *ſpeciali ratione* locus eſſe non poteſt.

(*a*) Vbi ex *ſpeciali prouinciae obſeruantia* ſeruatur *iudicium parium curiae:* ibi et *litigantibus* ius datur ad *illud prouocandi* in omni caſu feudali. Atque tum *auctoritate domini* ordinandum eſt iudicium Parium (§. 227.), conſtituto *iudice curiae, conuocatis* ab ipſo *paribus curiae*, iisque ſub *fide vaſallagii* ad cauſam cognoſcendam decidendamque conſtrictis, *duodecim* vtplurimum, totidem ab actore, quot a reo electis. *Ius feud. Alem. c.* 18. 20. *Iac. Frid.* LVDOVICI *Einleitung zum Lehns-Proceſs. c. I. ſ.* 23. *ſeq.*

(*b*) *Io. Petr. de* LVDEWIG *de primo foro subfeudorum imp.*

§. 378.

Forum feudale Domini circumscribitur per *limites iurisdictionis feudalis* (§. 224. 273.). Hinc competens tantum est in *caussis feudalibus*, siue lis sit in *petitorio* siue in *possessorio*: quamquam *caussa possessorii* non sit absolute feudalis, sed possit etiam in iudicio ordinario tractari (*a*). In caussis *non feudalibus* competens non est, nec competens fieri potest per prorogationem (*b*). Aliud obtinet, vbi plenus viget Landsassiatus (§. 219.).

(*a*) VVLTEIVS *de feud. lib.* 2. *c.* 2. *n.* 45. ROSENTHAL *de feud. cap.* 12. *concl.* 12. *n.* 70.

(*b*) LVDOVICI *Einleit. zum Lehns-Procefs c.* 2. *§.* 29.

§. 379.

Quoniam vasalli iurisdictionem feudalem, dominio directo annexam, etiam *virtute fidelitatis* agnoscere tenentur: 1) *vasalli omnes*, sine discrimine *status* et *dignitatis* foro feudali Domini sui in *caussa feudali* subesse coguntur (*a*): nec 2) ab eo liberantur per *priuilegium fori* vel per *ius de non euocando* (*b*); 3) *contumaces* vero sub poena *feloniae* et sub *iactura feudi*, quoad *manifesto* competens est, ad illud citari possunt (*c*).

(*a*) *II. F.* 55. §. 2. *c.* 6. 15. *X. de foro competent. c.* 13. *X. de iudiciis.* Huc pertinent formulae *literarum investi-*

vestiturae, quibus vasalli non alium, nisi *dominum directum*, iudicem se agnoscere profitentur. *Obs. feud.* meae *obs. XII. §.* 14. *Lud.* MENCKEN *de foro competente vasallorum et simultanee inuestitorum.*

(*b*) STRVVIVS *in obseru. feud. ad cap.* 16. *n.* 3. *Henr. Christ. de* SENCKENBERG *de euocationibus* in ZANGERI *tr. de Except. tom. II. p.* 1463. cit. *obs. feud. XII. §.* 16. Conf. *Rec. Imp. de a.* 1641. *§.* 94. LONDORPII *act. publ. tom. V. p.* 686.

(*c*) *II. F.* 22. LVDOVICI *l. c. cap.* 6. *§.* 7.

§. 380.

Forum iudicis ordinarii in causa *feudali* competens non est nisi ex *ratione speciali*, iure communi probata (§. 377.).

§. 381.

Proinde 1) ob *continentiam causarum* ad forum superius ordinarium *eiusdem territorii* deferri potest *causa feudalis eadem*, ex qua vnum idemque ius competit intuitu plurium *eiusdem territorii feudorum* a diuersis dominis licet extraneis recognitorum (*a*). Pari ratione 2) causa feudalis ex natura *iudicii vniuersalis*, veluti hereditarii vel concursus, ad idem forum ordinarium perduci potest, quoad concernit feuda *eiusdem territorii* (*b*). Aliud in *vtroque casu* obtinet in causis *coniunctis*, feuda *diuersorum territoriorum* concernentibus, quae neque sub praetextu *continentiae causarum* neque *iudicii vniuersalis* ad *tribunalia imperii* perduci pos-

S 3 sunt

ſunt (*c*); id quod ad tuendum *ius primae inſtantiae Statuum imperii* in cauſis feudalibus *aduerſus iudicia imperii* conſtitutum eſt.

(*a*) ROSENTHAL *de feud. concl. XII. concl.* 1. *n.* 85. 88. ZANGER *de except. cap. I. P. II. n.* 302. LVDOVICI *l. c. cap.* 2. §. 28. *Dau. Ge.* STRVBEN *Rechtl. Bedenken tom. I. N.* 114.

(*b*) LEYSER in *med. ad Pand. ſpec.* 479. *med.* 11.

(*c*) *Capitulatio* CAROLI VII. *et Nouiſſima art.* 21. §. 1. *Wir gereden und verſprechen, Churfürſten, Fürſten, und Ständen des Reichs (die freie Reichs-Ritterſchaft mit begriffen) wegen ihrer angehörigen Lehen, ſie ſeyn gelegen, wo ſie wollen, bey ihren Lehnherrlichen Befugniſſen, auch Gerichtbarkeit in den dahin nach den Lehnrechten gehörigen Fällen allerdings ohnbeeinträchtiget und ihnen darin von keinem Reichs-Gericht neque ſub praetextu continentiae cauſarum neque Iudicii vniuerſalis eingreiffen zu laſſen. Io. Ge.* ESTOR *de iurisdictione curiarum clientelarium Germ. cap. IV. Io. Iac.* MOSER *von der Teutſchen Iuſtiz-Verfaſſung P. I, lib.* 2. *c.* 7. §. 10. *p.* 450.

§. 382.

Nec minus 3) iudicis ordinarii cognitio eſt in caſu *deficientis iudicii feudalis* (*a*). Huic vero 4) non omnino ſimilis eſt caſus *negatae vel protractae iuſtitiae;* ob quam iudex ſuperior imploratus *promotoriales* decernere, non vero *cauſam principalem*, tamquam deuolutam, recipere poteſt, niſi iudex feudalis, ſpretis mandatis, iuſtitiam negare perſeueret (*b*).

(*a*) *II. F.* 16.

(*b*) *Rec. Deputat. de a.* 1600. §. 27. *Conc. Ord. Cam. P. II. tit.* 28. §. 3. *Io. Steph.* PÜTTER *Proceſſ. Imp. lib.* 3. *c.* 6. §. 389.

§. 383.

§. 383.

Eſt vero forum feudale vel *inferioris* vel *ſuperioris inſtantiae.* Poſterius eſt penes eum, qui pollet *iure recipiendi appellationes in cauſis feudalibus.* Quod ius pro parte *dominii directi ſuperioris* haberi nequit; ſed eſt pars *ſuperioritatis territorialis* (*a*), cui *in territorio ſubordinata* eſt *iurisdictio feudalis* (§. 226.); perinde vti *ius recipiendi appellationes* a iudiciis feudalibus Statuum imperii eſt ius *maieſtaticum imperatoris et imperii.* Hinc 1) in cauſis feudalibus, feuda in territorio ſita concernentibus, appellatio deferenda eſt ad *territorii dominum* eiusque *iudicia,* et ab his ad *iudicia imperii,* quoad non obſtant priuilegia de non appellando; ac proinde 2) ad *dominum territorii* non modo appellandum eſt a *curia feudali,* ſuperiorem *dominum directum extraneum* agnoſcente, verum etiam 3) a curia feudali *domini extranei,* iurisdictionem exercentis in *feudis alieni territorii* (*b*), niſi *conuentione* inter *territorii* et *feudi dominum* vel *obſeruantia* aliud conſtitutum eſſe appareat.

(*a*) *Io.* SCHILTER in *Praxi iur. Rom. ex. VI. §.* 11. *Henr. de* BÜNAV in *examine diſſert. Pucholzianarum de iurisdict. feud. c.* 17. *§.* 7. *in* IENICHENII *th. iur. feud. tom. III. p.* 716.

(*b*) *Dau. Ge.* STRVBEN *Rechtl. Bedenken tom. I. reſp.* 113. *Henr. de* DOERING *de appellatione in cauſis feudalib. §.* 28. 29. 30. *Obſ.* meae *iur. feud. obſ. XII. §.*17.

§. 384.

IV. In *tractatione causae feudalis* in iudicio feudali hodie omnia eadem sunt, quae iure communi definita sunt circa ordinem iudiciarium (*a*). Id modo in *exercitio* iurisdictionis feudalis maxime in *feudis extra curtem* obseruandum est, ne quidquam detrahatur *superioritati* et *iurisdictioni territoriali* (*b*). Itaque actus iurisdictionis feudalis in *territorio alieno*, non nisi *requisito iudice ordinario*, explicari possunt: quorsum pertinent *insinuatio citationis*, nec non *executio*, in *feudis extra curtem* non nisi *requisito iudice ordinario territorii extranei* peragenda (*c*).

(*a*) Ex moribus antiquis processum illustrat LVDOVICI *l. c. cap.* 3. *seq.*

(*b*) *Lud.* MENCKEN *de vi superiorit. territ. et foro comp. vasall.* §. 42. *Mich. Henr.* GRIBNER *de dominio directo in alieno territ.* §. 9.

(*c*) HORNII *I. F. cap.* 25. §. 24. *Tob. Iac.* REINHARTH de eo, *quod circa executionem in bona feudalia iustum est.* Erf. 1729. *Io. Phil.* SLEVOGT *de executione in bona feudalia.* Ien. 1739.

LIB.

LIB. II.

IVS FEVDALE GERMANICVM SPECIALE DE FEVDIS IMPERII.

SECTIO I.

DE CONSTITVTIONE ET ACQVISITIONE FEVDORVM IMPERII.

CAP. I.

De feudis imperii in genere.

ARGVMENTVM.

§. 385. *Feuda Imperii.*
386. *Eorum origo.*
387. *Domestica vel peregrina.*
388. *Eorum essentialia.*
389. *Eorum natura.*
§. 390. *Qualitates speciales singulorum feudorum.*
391. *Ius feudorum Imperii.*
392. *Eius fontes.*

§. 385.

Feudorum Germanicorum eminentem speciem constituunt FEVDA IMPERII, *quorum dominium directum est penes Imperium Rom. Germ.* Pendente regimine Imperii, *prodominium* eorum *sublime* an-

nexum eſt Maieſtati Imperatoris: et virtute huius *Imperatori* competit *exercitium iurium, quae dominio directo feudorum Imp. inſunt, niſi quoad legibus imp eſt reſtrictum* (§. 82. 212.) (*a*). Vacante Imperio, *Vicariis Imperii* datum eſt exercitium *certorum iurium dominii directi, per leges et obſervantiam Imperii determinatorum* (*a*).

(*a*) *Diſſ.* mea *de impedita feudi conſolidatione §.* 3.
(*b*) *A. B. tit. V. §.* 1.

§. 386.

Originem habent feuda imperii a bonis territoriisque Imp. datis olim *in beneficium* pro *officio regni* vel *praefectoriali*, vel *militari*, vel *palatino* (*a*). Fuerunt *beneficia* Francica in *dominio publico imperii*, non Principis regnantis (*b*). His tandem *hereditariis* factis, quod maxime contigit ſub CONRADO SALICO et FRIDERICO I., nata ſunt *feuda Imperii* (§. 13. 15.); auctusque eſt eorum numerus per *oblationem allodiorum imp.* in feudum.

(*a*) *Lud. Ant.* MVRATORII diſſ. *de allod. vaſall. beneficiis et feudis in tom. I. Antiquitat. Ital. p.* 345. inſerta IENICH. *th. iur. feud. t. III. p.* 241. *Iac. Gabr.* WOLFF *de orig. feud. imp. ſub Franc. Regib.* ibid. *t. I. p.* 631. *Obſ.* meae *iur. feud.* obſ. 11. *Io. Ad. Theoph.* KINDII diſſ. de *beneficiis iure curiae conceſſis eorumque a feudis diſcrim. Lipſ.* 1774.

(*b*) Idem nexus beneficiarius, in quo ſub *Imperatoribus Carolingicis* fuerunt duces comitesque in prouinciis Ger-

Germaniae, perdurauit *extincta ſtirpe Carolingica*, ſaluumque perſtitit *dominium publicum Imperii*, in quo fuerant *Beneficia regni*. Hinc facile iudicandum eſt de *Ducatuum*, quos beneficii titulo adhuc tum adminiſtrabant Imperii Duces, in *feuda Imperii oblatione*, quam ſub *Conrado I.* et *Henrico Aucupe* factam eſſe opinatus eſt *Io. Petr. de* LVDEWIG in diſſ. *Germania princeps ſub Conrado I.* in *Comment. ad Aur. Bull. tom. I p.* 391. in *ſingularibus iuris publici p.* 70. *ſ.* quam hypotheſin confutauit *Nic. Hier.* GVNDLING in diſſ. *de ſtatu Germaniae ſub Conrado I. §.* 9. *ſ.* et de *Henrico Aucupe p.* 50. *Io. Wolfg.* TEXTOR *de feudis imp. non oblatis cap.* 3. apud IENICHEN *in theſ. iur. feud. tom. II. p.* 674. et Auctor *Chronici Gotwicenſis lib. II. tom. I. p.* 83. 123. 150.

§. 387.

Sunt illa vel *domeſtica* vel *peregrina*, prout bona in feuda imp. data, vel intra ſpeciales Germaniae fines conſtituta ſunt, vel extra eosdem. Ad poſteriora pertinent feuda Imperii *Italica* (*a*) et *Burgundica (b)*, et nonnulla in *Heluetia* ſita (*c*).

(*a*) Notitiam feudorum Imp. Italiae habes in *Franc. Frid. ab* ANDLERN *corp. conſtit. Imperial. tom. II. p.* 1020. *Io. Iac.* MOSER *Reichs-Hofraths-Proceſs t. III.* in *append. N. II.* et in eiusdem *Teutſchen Auswärtigen Staats-Recht lib. V. c.* 3. nec non in *Selectis iur. publ. nouiſſ. Part. V. p.* 428. Eidem inſeruit LVNIGII *Codex Italiae diplomaticus.*

(*b*) *Io. Iac.* MASCOV diſſ. *de nexu regni Burgundici cum imp. R. G. Sect. III. §. 7. ſ.*

(*c*) *Literae collegiales Electorum* d. d. 14. Febr. 1742. ad art. X. Capitul. §. 6. apud MOSERVM in *Obſeru. ad Capitul. Caroli VII. Part. I. p.* 2.

§. 388.

Essentiale feudorum imp. est, quod dominium directum eorum sit in *dominio publico totius Imperii Rom. Germ.* et *fidelitas* eorum intuitu non soli Imperatori sed simul *Imperio R. G.* praestanda sit (*a*).

(*a*) Inde vocatur *Reichs - Lehen - Pflicht* in *capitulat. Imp. art.* II. *§.* 3.

§. 389.

Natura feudorum Imp. vel *communis* est, quae per ius *feudale Germanicum generale* constituitur, vel *propria*, determinata per *leges imperii*, veluti per auream Bullam, capitulationes Imperatorum, Recessus imperii nec non per *obseruantiam imperii* feudalem, cuius fundamentum positum est in *tacito* Imperatoris et Vasallorum Imp. consensu.

§. 390.

Qualitates speciales et iura particularia *singulorum* imp. feudorum determinantur *literis inuestiturae*, *priuilegiis imperatorum*, *obseruantia speciali*, *pactisque gentilitiis* Vasallorum imperii (*a*).

(*a*) *Ordinat. iud. Imp. aul. tit. V. §.* I. vid. not. *c.* ad §. 392.

§. 391.

IVS FEVDORVM IMPERII est *complexus iurium et obligationum*, *quae feuda imperii concernunt.*

nunt. Eſt illud ius feudale Germanicum ſpeciale (§. 8.) (*a*).

(*a*) *Io. Iac.* MOSER *von der Teutſchen Lehens-Verfaſſung.* Frankf. 1774.

§. 392.

Fontes eius ſunt vel *communes* feudorum Germaniae, vel *proprii* feudorum imp. repetendi ex legibus et obſeruantia imp. (*a*) nec non ex iuribus ſpecialibus ſingulorum feudorum (§. 389. 390). In *horum* defectu ad *illos* recurrendum. Itaque *ius feudale Germanicum generale* et *ius Longobardicum* in ſubſidium obtinet in feudis imperii (*b*), quoad *natura feudorum imp. propria* et *iura* eorumdem *ſpecialia* non repugnant. Nec tam ambigendum eſt de *receptione iuris Longobardici*, quam potius de *iuſta eius applicatione* ad feuda imp. circumſpiciendum eſt (§. 31. 32.) (*c*).

(*a*) *Ordinat. iudicii Imp. aulici tit. I. ∮.* 15.

(*b*) In feudis Imp. iam inde a ſec. XIV. prouocatur ab Imperatoribus *auf gemeine geſchriebene* vel *Kayſerliche Lehnrechte*, vt a Carolo IV. a. 1360. in *Ad. Frid.* GLAFEY *anecdot. p.* 438. et a Ruperto apud SCHILTERVM in *comm. iur. feud. Alem. p.* 216. Conf. *obſ.* meae *iur. feud. obſ. I. ∮.* 18.

(*c*) *Ordinat. iud. imp. aul. tit.* 5. *∮.* 1. *Alſo iſt es auch in Lehnsſtreitigkeiten zu halten: jedoch daſs in deren relation vornehmlich die Originales inueſtiturae und was für pacta darin ausdrücklich begriffen, wohl erwogen, und dann, gegen unſern klaren Lehn-Rechten, den allegirten und nicht zu Recht probirten Lehen-Gebräuchen, ſonderlich in Unſern Kayſerlichen Welſchen Lehens-*

Lehens-Fälligkeiten, nicht zu viel in Relatione noch Decisione deferiret werde. Conf. MOSERI *Staats-Recht tom. II. c.* 32. *§.* 6. *s.* et *von der Teutschen Lehns-Verfassung lib. I. c.* 4. *lib. II. c.* 4.

CAP. II.

De infeudatione bonorum Imperii.

ARGVMENTVM.

§. 393. *Modus constituendi feuda imp. datione vel oblatione in feudum,*
394. *non sola coniunctione allodii cum feudo.*
395. *Quaenam res in feuda Imp. dari vel offerri queant.*
396. *Bona singula et territoria.*
397. *Territorio infeudato, quaenam in feudum data censenatur?*
§. 398. *Territoria vel annexam habent dignitatem regalem, vel non.*
399. *Feuda regalia vel non regalia.*
400. *Vnde aestimanda non sint feuda regalia?*
401. *Feuda Imp. maiora, et minora.*

§. 393.

Feuda imperii constituuntur vel sola *datione*, vel praeuia *oblatione* rei *in feudum imp.* (§. 46.) (*a*). Sunt ergo vel *data* vel *oblata*. Oblatorum et datorum *eadem* iura sunt, nisi his *lege infeudationis* specialia iura constituta esse, appareat (§. 47.) (*b*).

(*a*) Illustre exemplum vid. in *Originib. Guelficis tom. IV. p.* 43. vid. Append. N. I.

(*b*) *Io. Nic.* HERTIVS *de feudis oblatis Part. II. §.* 1. et 40. *Io. Iac.* MOSERI *Reichs-Hoffr. Procefs tom. III. c.* 1. *§.* 105.

§. 394.

Sola coniunctio allodii cum feudo imperii non est modus constituendi *feudum imp.* allodiumque in hoc conuertendi, nisi interuenerit vel *datio* vel *oblatio* eius *in feudum*, vel, quae pro ea habetur, *praescriptio* (§. 199.). Itaque allodia imperii, in familiae decus et conseruationem *solius successionis causa* feudis imp. vnita, vel in *vsum oeconomicum* iisdem iuncta, seruant *allodiorum imperii* qualitatem: quamquam *aliunde* eandem cum feudis imp. habeant successionem (*a*).

(*a*) *Christ. Gottl.* BVDER *de confortatione feudi per allodium §.* 25. *s. Otto* RECHENBERG *de incorporatione allodiorum in feudum regale. Nic. Christoph.* LYNCKER *de bonorum allodialium in feudalia incorporatione.*

§. 395.

Dari in feudum imp. possunt res omnes, quae ad *ius totius imperii Rom. Germ.* pertinent, et *offerri* in feudum imp. quae obnoxiae sunt *dispositioni offerentis*. Improbata olim non est oblatio bonorum *mediatorum* in feudum imperii, quamquam *saluo iure territoriali* facta esse intelligatur; ex eaque *Imperio Rom. Germ.* acquisitum est *dominium directum* in territoriis Procerum Imperii (*a*). Eiusmodi oblatio hodie licita non est absque consensu territorii domini (*b*).

(*a*) *Mich.*

(a) *Mich. Henr.* GRIBNER *de dominio directo in territorio alieno tom. IV. opusc. S. V. §. 3.*

(b) HERTIVS *de feud. obl. P. II. §. 9.*

§. 396.

Quae de rebus infeudandis dicta sunt generatim (§. 50. s.), valent etiam de iisdem dandis in *feuda imp.* Possunt vero bona imp. infeudari tum 1) *vt singula* et per se considerata, veluti fundi, praedia, annuae praestationes, iura, regalia, Imperium ciuile, dominium directum, dignitates, officia, archiofficia, et vicariatus Imperii (*a*), tum 2) vt *bona imperii*, *per certam regionem sub imperio ciuili in vnum corpus vnita*, *sub* TERRITORII IMPERII IMMEDIATI appellatione.

(a) Recensum exemplorum habes in *Io. Iac.* MOSERI *Reichs-Hoffr. Procefs tom. III. cap.* 1. *§.* 5. *s. §.* 92. 93. 97.

§. 397.

Territorio imperii infeudato, omnes territorii partes in feudum datae esse praesumuntur: quoad non constat, allodia imperii solius tantum successionis vel vsus oeconomici causa eidem esse vnita (§. 394.). Et cum territorium imp. sub *imperio ciuili territoriali* vniatur: territorio infeudato, *superioritas territorialis* in nexu feudali esse praesumitur (*a*).

(a) Idem

(a) Idem euincunt formulae literarum inueſtiturae, quas recenſet HERTIVS *de ſuperioritate territoriali* ∫. 2.

§. 398.

Dignitas publica in imperio R. G. qua diſtincti ſunt Status imperii, ratione imperii ciuilis, quo pollent, DIGNITAS REGALIS appellari ſolet (a): quae ab antiquis *officiis regni* originem ducit (b). Ab adiuncta hac qualitate feuda imperii diſtinguuntur in REGALIA, *quibus annexa eſt dignitas regalis*, et non REGALIA, quibus ea non eſt adnexa.

(a) Vti dignitas, qua intuitu imperii ſummi exornatur Imperator, *Maieſtas*, ita et dignitas, qua intuitu imperii ſubordinati condecorantur Status imp. *dignitas regalis* appellatur, nomine ab ICtis diu vſurpato, nec tamen diſtincte expoſito; vti ea de re conqueritur HERTIVS *de ſuperiorit. territor.* ∫. 87. Vtraque rationem habet *imperii ciuilis*, quo vel *Imperator* per Imperium, vel *Status imp.* tum reſpectu *totius Imperii* tum reſpectu *territorii*, cui praeſunt, fruuntur.

(b) *Regalia* Longobardis dicebantur feuda immediata, quibus intuitu *officii regni* adnexa erat *publica dignitas regni*. I. F. 14. II. F. 10. 34. Significatu auguſtiori translata eſt haec appellatio ad *feuda imperii*, probataque ſtilo publico. I. P. W. art. IV. §. 50. art. V. §. 21.

§. 399.

Inter feuda regalia alia ſunt *Principalia*, *Fürſten-Lehn*, quibus annexa eſt *dignitas imperii Principalis* (a), *alia* feuda regalia *ſtricte* ſic dicta, quibus annexa eſt dignitas imperii, *principali infe-*

 rior.

rior. Ad illa pertinent *principatus* imp. tam *seculares*, quam *ecclesiastici;* et cum illis pari iure habentur Praelaturae Imp. immediatae nec non *comitatus* immediati, *Principali dignitate condecorati* (b). Ad feuda imperii *non regalia* pertinent territoria imperii immediata, quibus annexa non est dignitas regalis, quae *dynastiae imperii* vocantur, aliaque feuda imperii tam *nobilia* quam *ignobilia* (§. 97.).

(a) Formula *zu rechten Fürstlichen Lehen in Originib. Guelfic. tom. IV. praef. p.* 35. nec non *zu einem rechten Fürsten-Erbe-Lehen* apud *Io. Gottl.* HORNIVM *in Friderico Bellicoso p.* 203.

(b) Diplomata, quibus Sec. XIV. *iura Principum* data sunt *Comitibus Nassouio-Saraepontanis*, habes in LONDORPII *Actis Publ. tom. VI. p.* 829.

§. 400.

Ex quibus 1) intelligitur feuda regalia aestimanda non esse a *regalibus* in feudum imp. datis (a), quae et aliis, qui non sunt *Status Imp.*, dari in feudum solent, et ad feuda *non regalia* pertinent: nec minus 2) apparet, feudum *non regale* haud immutari in feudum *regale*, etiamsi ab *eodem possessore feudorum regalium* acquiratur.

(a) Inde iudicandum est de sententia MOSERI in *R. H. Proc. tom. III. cap. I. §.* 107. qui feuda regalia appellat, quibus annexa est superioritas vel quaedam *iura territorialia*, quae *regalia* vocantur.

§. 401.

§. 401.

Latius patet diſtinctio feudorum imperii in MAIORA et MINORA, quae habita conſideratione qualitatis eorum, et *emolumentorum*, ex iisdem prouenientium, maius momentum *ferunt* vel *non ferunt* (*a*). Ad *maiora* imperii feuda referuntur tam *feuda regalia*, quam ex non regalibus *dynaſtiae imperii* et *ciuitates*: reliqua feuda *non regalia* ad feuda imp. *minora* pertinere praeſumuntur.

(*a*) *Capitulatio Caroli V. art.* 24. *et capitul. nouiſſima art.* 11. *§.* 10. *Lehen - - ſo etwas merkliches ertragen, als Churfürſtenthümer, Fürſtenthümer, Grafſchaften, Herrſchaften, Städte und dergleichen.*

CAP. III.

De iure Imperatoris circa constituenda feuda Imperii.

ARGVMENTVM.

§. 402. *Ius Imperatoris constituendi feuda Imp.*,

403. *restrictum intuitu bonorum Imperii, in feuda dandorum*,

404. *non vero intuitu bonorum, in feudum oblatorum.*

§. 405. *Ius reinfeudandi restrictum intuitu feudorum maiorum*,

406. *non intuitu feudorum minorum.*

§. 402.

Cum dominium directum feudorum imperii pertineat ad totum Imperium R. G. eiusque exercitium iuxta normam legum imp. competat Imperatori (§. 385.): *ius constituendi feuda imp.* est penes imperatorem, quoad per *Leges Imperii* non est restrictum. Itaque infeudatio ab Imperatore, ex *norma legum imperii* peracta, *nomine* et *vice imperii* facta esse intelligitur (*a*).

(*a*) *Io. Guil.* ITTERVS *de feudis imp. cap. IV.* §. 5. 6. 7.

§. 403.

Cum infeudatio *alienationis* speciem contineat: in *infeudatione* bonorum imperii seruanda est eadem forma, quae est in eorumdem alienatione

con-

conſtituta: ideoque *bona imperii*, ſiue *intra Germaniae fines* ſiue *extra* eosdem conſtituta ſunt, infeudari ab imperatore nequeunt absque *Statuum Imp.* conſenſu (*a*). Idem obtinet in *infeudatione regalium*, quoad eorum conceſſio ad Statuum Imp. conſenſum adſtricta eſt (*b*).

(*a*) *Capitul. nouiſſ.* art. 10. §. 1. *Sollen und wollen wir dem Heil. Röm. Reich und deſſen Zubehörungen inn- und auſſerhalb Teutſchlandes nicht allein ohne Wiſſen, Willen und Zulaſſen, der Churfürſten, Fürſten und Ständen nicht hingeben, verſchreiben, verpfänden, verſetzen, noch in andere Weg veräuſſern oder beſchweren.* Antiqui iuris de bonis imp. absque conſenſu *Electorum* non infeudandis momenta continentur in ſententia RVDOLPHI Habsb. de a. 1281. in MARTENE et DVRANDI *theſ. Anecdot. tom. I. p.* 1169. Conf. *Ge. Chriſtiani* GEBAVERI *Leben K. Richards p.* 413.

(*b*) *Capitul. nouiſſ. art.* 8. *§.* 1. 13. *art.* 9. *§.* 2.

§. 404.

Si allodium in feudum imperii *offertur*, quod et offerri poteſt vnionis cum feudo imp. ineundae cauſa (§. 394.): Imperatoris *liberum* eſt *ius* illud *infeudandi* absque Statuum imp. conſenſu: eaque infeudatione *Imperio R. G.* acquiritur eiusdem dominium directum (§. 402.).

§. 405.

Reinfeudatio bonorum, in feuda imp. dari *ſolitorum*, conuenit moribus Germaniae antiquis (*a*): eaque intuitu *electoratuum* in Aurea Bulla praeſcri-

pta eſt (*b*). Intuitu *reliquorum maiorum imp. feudorum* negata eſt primum in *Capitulatione* CAROLI V. art. 24. cautumque, vt feuda aperta domanio Imp. addicerentur. Eidem rurſus locus factus eſt in *capitulatione* FERDINANDI IV. *art.* 30. modo interceſſerit *electorum* conſenſus. Denique in *capitulatione* CAROLI VI. de re omni ita cautum eſt, vt ſi ageretur de reinfeudando *electoratu*, conſenſus *Collegii Electorum*, ſin de *principatu, Comitatu* vel *dynaſtia*, vtriusque Collegii *Electorum* et *Principum imp.*, ſin de *ciuitate imp.* in feudum concedenda, etiam conſenſus Collegii *Ciuitatum Imp.* exigeretur (*c*).

(*a*) *Ius Sax. Prou.* lib. art. 60. *Ius prou. Alem. c.* 32. §. 3. ex edit. BERGERI p. 173.

(*b*) *Aurea Bulla c.* 7. imperatori non modo *ius* reinfeudandi electoratus tribuit ſed et *obligationem*. De *modo* reinfeudandi nihil cauet, quamquam ex obſeruantia imperii interuenire oportuerit electorum conſenſum. *Iac. Car.* SPENERI *ius publ. lib.* 4. *c.* 6. §. 4. *tom. V. p.* 261. *Car. Frid. de* BEVLWITZ de *conſenſu S. R. I. Electorum ad concedenda Imp. feuda tempore Rudolphi I. in vſum veniente* §. 6. *Chriſt. Wilh. Franc.* WALCH de *literis electorum conſenſionis teſtibus*, p. 14.

(*c*) *I. Iac.* MOSER *Reichs-Hoffr. Proc. tom. III. cap.* 2. §. 11.

§. 406.

Reinfeudatio feudorum imp. *minorum* nulla lege imperii reſtricta, ideoque *imperatori* ius *liberum* eſt eadem reinfeudandi (*a*).

(*a*) Problema eſt, vtrum *Vicariis imperii* ius compe-

tat

tat *reinfeudandi* feuda imp. saltem minora, imperio aperta? Negatiuam tuetur *Io.* LIMNAEVS ad A. B. cap. V. §. 1. obs. 14. p. 270. *Io. Petr. de* LVDEWIG *in Comment. ad A. B. tom. I. p.* 563. Affirmatiuam defendit *Mich. Henr.* GRIBNER de *iurib. Vicarior., quae perperam in dub. vocantur p.* 30. *Iac. Car.* SPENER *in iur. publ. Part. VI. p.* 52. *Henr. Gottl.* FRANCKE *de iure vicariorum imp. de feudis imp. apertis disponendi.*

CAP. IV.

De Vasallis Imperii.

ARGVMENTVM.

§. 407. *Vasalli et Prouasalli Imp.*
408. *Vasalli imp. maiores et minores.*
409. *Feudorum imp. capaces.*
410. *Eorum capacitas intuitu sexus.*
411. *Quatenus obuenerint Ecclesiis.*
412. *Feuda ecclesiastica et secularia.*
§. 413. *Feuda ecclesiastica regalia vel non regalia.*
414. *Mutatio feudi regalis secularis in ecclesiasticum, et vice versa.*
415. *Vasalli imp. ecclesiastici et seculares.*
416. *Vasalli imp. primarii Imperator et Augusta.*

§. 407.

VASALLVS IMPERII est, *cui constitutum est feudum imperii.* PROVASALLVS IMPERII est, *cui vi tituli specialis* ideoque vi iuris proprii *constituitur feudum imperii, ad alium pertinens* (*a*). Est

et is imperii vaſallus: et ex *natura tituli* aeſtimatur exercitium iurium et obligationum prouaſalli in feudo (§. 89.).

(*a*) Exempla vid. in TOLNERI *Cod. dipl. hiſtor. Palat. N. XXVII. p.* 22. 23. et in MVLLERI *entdeckten Staats - Cabinet*, 4. *Eröffn. cap.* 2.

§. 408.

Vaſalli imperii vel MAIORES ſunt, *quibus feuda regalia*, vel MINORES, *quibus feuda non regalia conſtituuntur* (*a*). Vaſalli imp. maiores ſimul ſunt *Status Imperii*. Vaſalli imperii minores, qua tales, *non ſunt Status Imperii*, eorumque numero ſunt nobiles imperii immediati, aliiue etiam mediati imperii ciues (*b*).

(*a*) *Maiores* et *minores milites* vocantur in Conſtitutione CONRADI SALICI *de beneficiis* de a. 1037.

(*b*) Capitulat. nouiſſ. art. 11. §. 1. *die Lehen und Lehen - Brief denen Churfürſten, Fürſten und Ständen des Reichs (die unmittelbare Reichs - Ritterſchafft mit begriffen) und andern Reichsvaſallen.*

§. 409.

Capacitas vaſallorum imp. aeſtimatur tum I. in genere ex *iure communi* (§. 89. ſ.), ſalua ſemper indulgentia *Imperatorum* in admittendis *incapacibus* ad feudorum *acquiſitionem* (*a*) (§. 96.), tum II. in ſpecie ex indole feudorum imperii. Feudorum *regalium* capaces ſunt, qui habiles ad

capes-

capessendam *dignitatem regalem*, iisdem annexam, et feudorum *non regalium*, qui et *iure communi* feudorum capaces habentur: ac regulariter quidem *ingenui* ex *ordine militari*, si sit feudum *nobile*. Ad feuda ignobilia admissi sunt homines ex ordine *ciuico* (*b*) et ex ordine *rusticorum* (*c*).

(*a*) *Ius feud. Alem. cap.* 3. *§.* 1.

(*b*) Recensum vasallorum imperii ex ordine *equestri* et *ciuico* habes in LVDEWIGII *Comment. ad A. B. Tom. II. p.* 1051. *s.* et in MOSERI *R. H. P. Tom. III. in append.* 1. *p.* 667. *s.* nec non in eius tr. *von der Teutsch. Lehns-Verfassung, p.* 67. *s.* et *Abhandl. verschied. Rechts-Materien P. XII. N. I.*

(*c*) Exemplum est apud MOSERVM *l. c. cap. I. §.* 98. *p.* 133.

§. 410.

Seruatur inde principium *iuris communis* (§. 91.), feudorum imperii capaces tantum esse *masculos*, nec ad ea admitti *feminas*, nisi iis simul feudum constitutum esse appareat (*a*). Feuda imperii ergo tamdiu praesumuntur *masculina*, donec ea *feminis* simul constituta esse doceatur (*b*).

(*a*) Vt factum in oblatione Ducatus Luneburgici in feudum in *Orig. Guelf. tom. IV. p.* 40. Conf. *Ge. Christ.* IOANNIS *spicilegium tabularum literarumque veterum p.* 412.

(*b*) *Christ. Mich.* GRIBNER *de feudis Imperii masculinis non femininis* §. 3.

§. 411.

Imperatorum indulgentiae debetur (*a*), quod non *ſingula* modo *bona imperii* ſed et *integra territoria* iuraque iis adnexa iure feudi translata ſint ad *eccleſias*, et ad *corpora eccleſiaſtica*, ſub lege, per *prouaſallum* ea recognoſcendi. Sunt haec feuda annexa *beneficiis eccleſiaſticis*, et *iure beneficii* debentur ad beneficia promotis.

(*a*) *Io.* SCHILTERVS *ad Ius feud. Alem. c.* 1. *§.* 4.

§. 412.

Nata inde eſt diſtinctio inter feuda imperii ECCLESIASTICA, *quae titulo Beneficii conſtituuntur promotis ad beneficia eccleſiaſtica, quibus annexa ſunt feuda imperii*, et inter feuda imp. SECVLARIA, *quae alio ac Beneficii titulo conſtituuntur. Illa* intuitu *Beneficii eccleſiaſtici*, cui annexa ſunt, ideoque *ad tempus* conſtituuntur, quo inueſtitus Beneficio fruitur: *haec titulo patrimonii* ſeu titulo, ad dominium vtile transferendum habili, inveſtito eiusque *heredibus* feudorum capacibus *in perpetuum* conſtituta eſſe praeſumuntur.

§. 413.

Sunt feuda Imp. *eccleſiaſtica* non minus REGALIA quam NON REGALIA (§. 399.). Ad *illa* pertinent *territoria imperii*, cum regali dignitate

iuri-

iuribusque eidem inhaerentibus annexa *Beneficiis imperii immediatis*, Archiepiſcopatibus, Epiſcopatibus et Praelaturis Imperii, *dignitate principali* diſtinctis. *Haec* conſiſtunt in bonis imperii iuribusque ſingulis nec non in dynaſtiis ad eccleſiam translatis et *ab Imperio* infeudatis; qualia etiam praelaturis mediatis obuenire poſſunt. Vti omnia bona ſecularia, beneficiis annexa, *temporalia*, *die Weltlichkeit*, appellantur: *ita feuda imperii omnia, praelaturis imperii immediatis annexa*, in ſignificatu *ſpeciali*, ex vſu medii aeui ſeruato (*a*), REGALIA illius eccleſiae vocantur, ad quam pertinent.

(*a*) *Concordata Henrici V. cum Calixto II. de a.* 1122. *Lud. Ant.* MVRATORIVS in diſſ. de *epiſcoporum abbatum aliorumque eccleſiaſticorum potentia et regalibus clero conceſſis;* quae eſt diſſ. LXXI. in *tom. VI. Antiquitat. Italiae p.* 4.

§. 414.

Feudum Imperii *regale ſeculare* immutatur in feudum *regale eccleſiaſticum*, ſi *in eccleſiam translatum*, *titulo Beneficii conſtituitur epiſcopis praelatisque imperii*. Vnde Ducatus, Principatus, Comitatusque imperii, Beneficiis imperii eccleſiaſticis annexi, iure feudi *regalis eccleſiaſtici* cenſentur (*a*). E contra feudum imp. regale *eccleſiaſticum* immutatur in *ſeculare*, *ſi extincto beneficio*, *cui*

cui annexum est, ab imperatore et imperio titulo patrimonii confertur inuestito eiusque successoribus feudalibus in feudum perpetuum (*b*).

(*a*) De Ducatu *Angariae* et *Westphaliae* ecclesiae *Coloniensi* et Philippo, tum Archiepiscopo, in feudum collato vid. diploma FRIDERICI I. de a. 1180. *in Originib. Guelf.* tom. III. p. 101. nec non de *Comitatu Arnsbergensi*, in ecclesiam *Coloniensem* translato, diploma CAROLI IV. de a. 1371. in *Ge. Christ.* IOANNIS *spicil. tabul. p.* 54. Conf. diss. mea de *originibus iurium praecipuorum Archiep. et Elect. Colon.* §. 19.

(*b*) Per pacem Westphalicam feuda ecclesiastica *Archiepiscopatus Bremensis*, et *episcopatus Verdensis* perinde ac *Archiepiscopatus Magdeburgensis* in *perpetuum et immediatum imperii feudum sub titulo Ducatus*, I. P. W. art. X. §. 7. art. XI. §. 11. nec non feuda episcopatus *Halberstadiensis*, *Mindensis*, *Suerinensis* et *Ratzeburgensis* in feuda *perpetua* sub dignitate *Principatus* conuersa sunt. I. P. W. art. XI. §. 4. 5. art. XII. §. 1.

§. 415.

Vasalli Imp. vel ECCLESIASTICI sunt, *quibus feudum imp. ecclesiasticum*, vel SECVLARES, *quibus feudum imp. seculare constituitur.* Vtrique intuitu feudorum *regalium ecclesiasticorum* vel *secularium* simul sunt *Status imperii* (*a*).

(*a*) In clypeis militaribus recensentur principes ecclesiastici et seculares, iisque singulis specialis dignatio tribuitur. I. Feud. Al. c. 1. I. F. S. art. 1.

§. 416.

Cum non repugnet, *Prodominum* eiusdem reipublicae, cui praeest, vasallum esse (§. 100.):

Impe-

Imperator ſimul *vaſallus imperii* eſſe poteſt ratione *feudorum imperii*, *ipſi conſtitutorum*. Idem dicendum eſt de *Auguſta*. Itaque primarios imperii vaſallos habemus *Imperatorem* et *Auguſtam* (*a*).

(*a*) *Iuſtin. Frid. Wilh.* IKEN diſſ. de *Imperatoris atque Imperii primariis Vaſallis*, *Imperatore atque Auguſta*. Marb. 1751. Literas inueſtiturae de a. 1346. quibus LVDOVICVS *Bauarus* conteſtoralem ſuam *Margaretham* de Comitatibus *Hollandiae* et de *Dominio Friſiae oſculo oris* et *ſceptro imperiali inueſtiuit*, exhibet *Ant.* MATTHAEI in *analectis medii aeui tom. III. edit. nou. p.* 234.

CAP. V.

CAP. V.

De conſtitutione feudorum Imperii per inueſtituram.

ARGVMENTVM.

§. 417. *Modi conſtituendi feuda imperii.*
418. *Conſtitutio per inueſtituram.*
419. 1) *Ius inueſtiendi Imperatoris.*
420. 2) *Solennia inueſtiturae eorumque ratio.*
421. *Concernunt vel curiam feudalem vel ritum inueſtiendi.*
422. *A conditione curiae feudalis dependet diſtinctio in inueſtituram ſolennem et minus ſolennem.*
423. *Per illam data feuda ſceptri et vexilli.*
§. 424. *Hodierna inueſtitura coram throno et in iudicio imp. Aulico.*
425. *Diſcrimen feudorum throni et coram iudicio Imp. Aulico conferendorum.*
426. 3) *Inueſtiendorum ius eam recipiendi per mandatarium.*
427. *Qualitates mandatarii.*
428. 4) *Vbi danda ſit inueſtitura?*
429. 5) *Effectus inueſtiturae.*

§. 417.

Feuda Imperii eodem modo, quo iure *feudali communi*, conſtituuntur et acquiruntur *inueſtitura* (§. 106.), *ſucceſſione* (§. 118.), et eo, quod habetur pro inueſtitura, *praeſcriptione* (§. 199.).

§. 418.

In conſtituendo feudo imperii I. praecedere debet *titulus*, ad dominium vtile acquirendum habi-

habilis, et II. subsequi ipsa *constitutio feudi*, per *inuestituram* (§. 101. 104.). Solus *titulus iustus* ad feudum nouum acquirendum non sufficit, sed perficienda est eius acquisitio *inuestitura:* cui tamen *impetrandae* nec in legibus Imp. nec in iure communi *tempus* est praefinitum (§. 109.) (*a*).

(*a*) Terminus anni et diei, inuestiturae *renouandae* praefixus, prorsus non pertinet ad *primam* inuestituram: quamquam sine causa de eo dubitet MOSERVS R. H. P. *tom. III. cap. IV.* §. 1.

§. 419.

I. *Ius* vice et nomine Imperii *inuestiendi*, pendente Regimine Imperii, est penes *Imperatorem solum* (*a*), seruatis his, quae in constituendis feudis imperii obseruanda sunt (§. 405.). Quod ius cum Imperator vel *ipse* exercere, vel eius exercendi facultatem *aliis delegare* possit: inuestitura inde vel *ordinaria* est, vel *vicaria* (*b*).

(*a*) *Aurea Bulla Cap. V.* §. 1. PFEFFINGERVS *ad Vitriarium lib. 2. tit. 1.* §. 9. *tom. II. p.* 926.

(*b*) *Christ. Gottl.* BVDERI diss. de *Commissario imperiali ad causas feudales sigillatim ad inuestituras* §. 10. 22. *in opusc. p.* 482. *s.*

§. 420.

Moribus antiquis Germaniae receptum est, inuestituram feudorum imp. dari inter *solennia*, vel *legibus* et obseruantia *Imp.* vel mutuo *Domini*

ni et *vaſalli* inueſtiendi *conſenſu* definita (*a*). Quae cum, ſalua inueſtitura, aliter ſe habere queant: mirum non eſt, varia illa ſemper fuiſſe pro *genio* et *decoro ſeculi*, pro conditione *vaſallorum* et pro diſcrimine *feudorum*. In iisdem definiendis non minus *dignitatis Imperialis*, quam *honoris vaſallorum imperii* ratio habita eſt. Tranſiit inde hodie in problema, vtrum in *Principum Electorum* inveſtitura ob *Regios Honores* (*b*), iisdem lege publica tributos, nonnihil relaxandum ſit a rigore ſolennitatum (*c*)? de qua re tandem ſuperiori anno inter Imperatorem et Principes Electores conventum eſt.

(*a*) Data ſunt nonnullis vaſallis priuilegia circa ſolennia inueſtiturae, vt *Ducibus Auſtriae* per priuilegium FRIDERICI I. de a. 1156. in DV MONT *Corps diplomat. tom. I. P.* 1. *p.* 81. nec non *Regibus Bohemiae* per priuilegium FRIDERICI III. de a. 1462. apud GOLDASTVM de *Regno Bohemiae lib.* 3. *c.* 14. §. 31. *p.* 505. *I. Iac.* MASCOVIVS de *iure feud. c. VII.* §. 8.

(*b*) *Aug. Frid.* SCHOTT de *iuribus regiis principum electorum*, Lipſ. 1771.

(*c*) *Selecta iuris publici nouiſſ. Part.* 23. *obſ.* 1. *p.* 32. *Part.* 31. *obſ.* 1.

§. 421.

II. Solennia inueſtiturae imperialis vel concernunt CVRIAM IMPERII FEVDALEM, hoc eſt, *conuentum Vaſallorum Imperii, coram Imperatore congregatorum ad cauſas feudales agendas*, vel

vel ipſum RITVM INVESTITVRAE, tum in actu *traditionis* adhibitis variis ſymbolis, tum in actu *inaugurationis*, praeſtito iureiurando fidelitatis, inter varias *reuerentiae* ſignificationes, maxime *tactu* vel *oſculatione ſceptri* vel *gladii* peracto (§. 103.) (*a*).

(*a*) *Io. Ge.* ESTOR de *inaugurationibus beneficiariis earumque ſymbolis et ritib. c.* 1. *§.* 10. *ſ.*

§. 422.

Acceſſit et praecipua quaedam ſolennitas a conditione CVRIAE IMPERII FEVDALIS, quae SOLENNIS eſt, ſi celebratur inter ſolennitates, *maieſtatem imperialem* repraeſentantes, Imperatore in *Sede Regali* ſeu *in ſolio* ſedente et *Archiofficialibus Imperii* functiones peragentibus (*a*); ſin ſecus, MINVS SOLENNIS. Fuit inde *ordinaria inueſtitura feudorum imperii* vel *ſolennis* vel *minus ſolennis*, prout vel *in curia feudali Imperii ſolenni* (*b*), vel minus ſolenni peracta. Vtraque nec ab *vſu ſymbolorum* nec a *praeſentia Imperatoris*, ſed a ſolennitatibus *maieſtatem Imperialem in curia feudali* repraeſentantibus, diſtinguitur. Solennem inueſtituram *ſub dio* celebrari moris fuit, eamque illuſtriorem reddi *curſu equeſtri feudali* (*c*).

(*a*) *Aurea Bulla* cap. 26. *et* 28. *in f.*

 (*b*) Or-

(*b*) Ordinat. Regimenti a. 1521. §. 4. *und behalten uns vor, die Belehnung der Lehen und Regalien derjenigen, die sie unter der Fahnen öffentlich mit Solennitäten pflegen zu empfahen. Io. Christ. Wilh. de* STECK in comment. *de feudis coram solio Caesaris conferendis* §. 1-11.

(*c*) Vocatur des *Kayserlichen Lehn-Stuhls Berennung. Christ. Gottl.* BVDERI obs. *de cursu equestri feudali*, in *obs. iur. publ. et feud.* obs. III. p. 65.

§. 423.

Ab solam *obseruantiam imperii* redit, quaenam feuda imperii reuocata sint ad *solennem inuestituram.* Habitus est is honor *Principibus Imperii ecclesiasticis* et *secularibus* intuitu *feudorum regalium*: et cum *illos* vt plurimum sceptro, *hos* vero per vexilla inuestire moris esset (*a*); nata inde est appellatio FEVDORVM SCEPTRI et VEXILLI (*b*), quae sunt feuda imperii *regalia principalia*, tam *secularia*, quam *ecclesiastica* (§. 398-413.), *vi obseruantiae Imperii inuestitura solenni conferenda.* Ad feuda *vexilli* pertinent *feuda Principatuum*, ad eaque ex pari ratione relati sunt *comitatus*, quoad vel *dignitate principali* condecorati sunt, vel iisdem vna inuestiti sunt Principes. Deficit eiusmodi *obseruantia* in feudis *regalibus comitatuum*, quibus *Camites Imperii* inuestiti sunt (*c*).

(*a*) *Ius Alem. Prou.* lib. 1. ex edit. *Bergeri* p. 172. *Der Kayser soll leihen allen geistlichen Fürsten ihre Rechte mit dem Scepter, und allen weltlichen Fürsten mit den Fahnen. Ius Sax. Prou. lib. III. c.* 60. *Concordata Henrici V. et Calixti II. de a.* 1122. Vsum horum symbolo-

bolorum vero non perpetuum fuiſſe probauit *Io. Sam.* TREVERVS in diſſ. *inueſtitura per ſceptrum feudis eccleſiaſticis et ſecularibus communi.*

(*b*) *Nic. Hier.* GVNDLINGIVS in comment. de *feudis vexilli §. 20. ſ. Chr. Gottl.* BVDER de *feudis ſceptri* in op. p. 169.

(*c*) De hoc argumento, in vtramque partem diſputato, vid. GVNDLINGIVS l. c. §. 22. 23. et *Gundlingiana* P. 26. p. 62. *Mich. Henr.* GRIBNER in obſ. de *feudis vexilli* apud IENICHEN tom. III. p. 214. 221. *Wilh. Frid.* PISTORIVS in *Anmerkungen über allerhand die Vorrechte der R. Grafen betreffenden Materien P. II. p.* 192. STECK *l. c. §.* 8.

§. 424.

Antiquioris inueſtiturae reliquiae ſuperſunt in duplici feudorum imperii inueſtitura, nouioris aeui obſeruantia definita. Ex quo enim inde a *Maximiliani* I. aetate ſolennis inueſtitura *in camera,* hoc eſt, intra palatium imperiale dari coepit (*a*): SOLENNIS habita eſt illa, quae coram *Imperatore*, in *Solio* ſedente, celebratur in conventu, imaginem *ſolennis curiae feudalis* repraeſentante, videlicet in conuentu *Officialium imperii hereditariorum*, vel his abſentibus, *officialium miniſtrorumque aulae Caeſareae*, Solio Imperatoris ex vtroque latere adſtantium (*b*). MINVS SOLENNIS eſt, *quae auctoritate Imperatoris peragitur coram Iudicio Imperii Aulico*, vices veluti curiae feudalis minus ſolennis obeunte (*c*).

(*a*) *Beſchreibung des Cöllniſchen Reichs-Tags de a.* 1505. in *Henr. Chriſt.* de SENCKENBERG *Samlung von ungedruckt*

druckt und raren Schriften P. I. p.206. quo teſtimonio inſtructa eſt commentatio *Io. Gottl.* BOEHMII de *inueſtitura feudorum imp. in Camera.* §. 10. Sub *Maximiliano II.* vltima occurrunt exempla *veteris* inueſtiturae ſolennis, qualis eſt illa, quam Imperator in curia ſolenni, *Auguſtae Vindelicorum* a. 1566. celebrata, dedit AVGVSTO, Electori Saxoniae; deſcripta in BVDERI *Samlung ungedruckter Schriften p.* 73.

(*b*) Inter ſolennia hodiernae inueſtiturae *alia* reſpiciunt *curiae feudalis* coram Imperatore, tecto capite *in Solio* ſedente, ſplendorem; *alia petitionem inueſtiturae*, quam inueſtiendus prima vice in ingreſſu conclauis, altera poſt aliquot paſſus, tertia demum ad medium ſtrati tapetis in genua ſubſidens concinna oratione exponit; *alia* declarationem imperialem, *de impertienda inueſtitura*, quam ab Imperatore ſibi ſecreto ſignificatam, nomine eius proponit *Vicecancellarius Imperii; alia* praeſtationem *ſacramenti fidelitatis*, quod inueſtiendus, ad ima Solii propius aſcendens, iterumque in genua procumbens, *Vicecancellario* verba praeeunte, enunciat digitis adpoſitis *Euangeliorum libro*, ſinui Imperatoris a *Cubiculario* impoſito; *alia* ſignificationem *reuerentiae*, tum per *oſculationem coni gladii*, quem nudum a *Mareſchallo* acceptum, manubrio tenens Imperator inueſtiendo *deoſculandum* praebet, tum per *gratiarum actionem*, quam ſic inueſtitus, ab imis ſolii paululum recedens, et in genua rurſus procumbens, ſubmiſſa breui oratione exponit, iisque peractis, inclinato ſemper in Caeſarem vultu, bis vt ante in genua prouolutus e conclaui regreditur. Solennium deſcriptionem dant LVNIG. in *theatr. Ceremon.* tom. II. p. 944. ſeq. PFEFFINGERVS ad *Vitriarium l. c. p.* 957. MOSERVS *in R. H. P. tom. IV. cap.* 5. §. 23. 24. 25.

(*c*) vid. MOSERVS *l. c.* §. 32.

§. 425.

Nata inde eſt diſtinctio feudorum imperii in FEVDA THRONI (*a*), et in feuda, coram IV-

DICIO

DICIO IMPERII AVLICO conferenda. In iisdem definiendis *ſola obſeruantia Imperii* normam praeſtat. Vi *huius* ad ILLA pertinent *feuda regalia Principum imperii*, quorum inueſtitura et olim ad *curiam Imperii feudalem ſolennem* reuocata eſt (§. 423.) (*b*): ad HAEC tum feuda *regalia Comitum imperii* (*c*) nec non *Praelatorum* Imp. *ſimplicium*, tum feuda *non regalia* et feuda *Italica*.

(*a*) CAPITVLATIO *nouiſſ. art.* II. *§.* 7. *Gottfr. Dan.* HOFFMANNI diſſ. de *feudis throni. Io. Chriſt. Wilh. de* STECK de *feud. coram ſolio Caeſ. conferendis. §.* 7.

(*b*) MOSERI *Reichs-Hofr. Proc.* tom. III. c. I. §. 106. Eiusdem *Staats-Recht tom. VIII. p.* 84. *ſ.*

(*c*) Dubia de his mota exhibentur in deduct. ſub tit. *Beweiſs, daſs die Reichs-Lehnbare Graf- und Herrſchaften Fahnen- und Thron-Lehen ſeyn, beſonders in Anſehung der uralten Grafſchaft Hohenlohe.* Oehringen 1743. Vid. *ſelecta iur. publ. nouiſſ.* Part. 8. obſ. 3. *Io.* HEVMANN in diſſ. de *S. R. I. Comites inueſtiendi ratione.*

§. 426.

III. Licet inueſtiendus ex medii aeui obſervantia *ipſe* teneretur coram ſuſcipere inueſtituram (*a*): id ei tamen *abſenti* hodie non minus licet per *mandatarium*, etiamſi de *prima inueſtitura* agatur (*b*). Inductum id eſt, recepto *iure Longobardico* (§. 110.), et inde a ſeculo XV. *obſervantia imperii* adeo firmatum, vt nihil fere veteris obſeruantiae ſuperſit, niſi quod eius rei *venia ſigillatim* petenda et *abſentia* vaſalli modeſte *excu-*

ſanda ſit: a qua tamen ſolennitate immunitatem vrgent Status imp. *regia dignitate* diſtincti, et hodie *Principes Electores* ob regios honores, illis tributos (*c*).

(*a*) *Io. Frid.* IOACHIMI *Samlung vermiſchter Anmerkungen obſ. III. Obſeruat.* meae *iur. feud. obſ. X* de *inueſtitura per procurat.* §. 3. 4.

(*b*) *Ord. Imp. Aul. tit. III.* §. 8. *ſo oft die Reichs-Lehen zu empfahen oder von neuen zu empfahen.* PFEFFINGERVS *ad Vitriarium lib. II. c.* I. §. 15. *t. II. p.* 956.

(*c*) *Selecta iur. publ. nouiſſ. P.* 23. *p.* 32. *P.* 31. *art.* I.

§. 427.

Mandatarium *mandato ſpeciali* ad *actum inueſtiturae* et ſigillatim ad praeſtandum *iuramentum fidelitatis* inſtructum, eumque, ſi agitur de *feudis throni*, *hoc fine* ad aulam Caeſaream *ablegatum* (*a*), et *nobilitate* illuſtrem, *aus dem Herrn- und Ritterſtande*, eſſe oportet (*b*), ſaluo tamen *Principum eccleſiaſticorum* arbitrio, in eodem vel ex *gremio capituli* vel ex *ordine ſeculari* ablegando (*c*). Ad feuda coram *Iudicio Imperii Aulico* recipienda vnum ex *Agentibus illus iudicii* conſtituere ſufficit mandatarium; eaque vaſallus, ſi in *aula Caeſarea* ſit *praeſens*, ipſe recipere tenetur.

(*a*) *Decretum Iud. I. Aul. d. d.* 21. *Iul.* 1659. ap. VFFENBACHIVM de *iudicio Imp. aul. in mantiſſa n.* 3. *p.* 4.

(*b*) *Decretum Iud. I. Aul. d. d.* 28. *Aug.* 1688. *in* LVNIGII *Archiv. Imp. tom. IV. p.* 1176.

(*c*) CAPITVL. *nouiſſ. art. XI.* §. 4.

§. 428.

IV. Cum inueſtitura feudorum imperii *vice et nomine Imperii* peragatur: conuenire viſum eſt, eandem non niſi in *loco*, intra fines *ſacri Imperii Germanici* conſtituto, celebrandam (*a*) *literasque inueſtiturae* non niſi in *Cancellaria Imperii* expediendas eſſe (*b*).

(*a*) Capitvlatio *nouiſſ. art.* 16. *ſ.* 2.

(*b*) Capitvlatio *cit. art.* 11. *ſ.* 8.

§. 429.

V. Per inueſtituram determinantur iura feudorum imperii iuxta *legem inueſtiturae* (§. 105.) et ſecundum *indolem ipſius feudi. Feudum imperii ſeculare* conſtituitur tum *inueſtito* tum *deſcendentibus* eius *legitimis*, *feudorum capacibus*, aliisue, quibus per *legem inueſtiturae* proſpectum eſt (§. 111.); eoque ſenſu feudum *perpetuum* vocatur (*a*). *Feudum* Imperii *eccleſiaſticum*, vi epiſcopatus, praelaturae aliusue beneficii eccleſiaſtici, cui annexum eſt (§. 406.), ei conſtituitur, qui *electione*, *poſtulatione* aliaue *canonica prouiſione* ad hoc vocatur; ideoque inueſtitura ei facta, ad *eius perſonam* adſtricta, vim tantum habet, quousque is fruitur Beneficio eccleſiaſtico.

(*a*) *Inſtr. Pac. Weſt. art.* X. *ſ.* 6. *art.* XI. *ſ.* 1. 5.

CAP. VI.

De successione legitima feudali in feudis imperii.

ARGVMENTVM.

§. 330. *Successio ex iure sanguinis in feudis imp.*

431. *Datur masculis a primo Acquirente oriundis. Quatenus feminis?*

432. *Quatenus negata sit natis ex inaequali matrimonio?*

§. 433. *et legitimatis?*

434. *nec non clericis?*

435. *Successio praesumitur ex pacto et prouidentia maiorum, non hereditaria.*

436. *Ius successoris apprehendendi vacuam possessionem feudi.*

§. 430.

Cum feuda Imperii secularia vi *primae inuestiturae* constituantur et acquirantur omnibus, *in eadem* comprehensis: secundum Ius feudale commune inde conficitur regula (§. 392.); *in feudis imp. secularibus ius succedendi duci ex inuestitura primi acquirentis*, in iisque ideo obtinere *successionem legitimam* (§. 119. 120.); nisi quoad *successionem specialem* in *certis feudis imperii* constitutam esse apparet.

§. 431.

Quae de successione *iuris Communis* dicta sunt (§. 120. s.), obtinent in *successione in feuda Imperii.*

rii.

rii. Vocati ad hanc cenſentur a *primo Acquirente* per *maſculos* ex *iuſto connubio deſcendentes:* non vero *feminae,* vel *per feminas* a primo acquirente deſcendentes (§. 124.), niſi ex *lege inueſtiturae* vel ex natura *feudi hereditarii* (*a*). Tum vero Feminis ius ſuccedendi competere demum praeſumitur *in euentum*, ſi maſculi nulli a primo acquirente ſuperſint (§. 126.) (*b*): eoque euentu exiſtente, ius ſuccedendi debetur feminae, *vltimo vaſallo proximiori* (§. 127.) (*c*).

(*a*) MOSERI R. H. P. tom. III. c. 3. §. 10-46.
(*b*) *Gabr.* SCHWEDER *de femin. in feud. cum maſcul. concurrent. excluſione* cap. 2. §. 4.
(*c*) *Henr. Chriſt. de* SENCKENBERG *de ſucceſſ. filiar. in regna et principatus cap.* 6.

§. 432.

Itaque a ſucceſſione in feuda imperii excluduntur *nati* ex *diſparagio* et ex *matrimonio ad morganaticam* (§. 122.). Cum in *feudis Imperii Regalibus* ſimul ratio habenda ſit *dignationis Statuum imperii:* natis ex diſparagio ex *ſpeciali legum Imp. diſpoſitione* (*a*) aequiparantur *nati ex matrimonio*, quod ratione *dignationis* per *notorium* imperii *vſum* pro *inaequali* habetur, *aus einer nicht Standesmäſſigen Ehe*, iisque in feudis imperii *regalibus* negatur ſucceſſio. Tales cenſentur nati ex matrimonio Status Imperii vel Domini ex eadem domo

 oriun-

oriundi cum femina *ciuici ordinis* vel *codicillaris nobilitatis;* ne *indulgentia* quidem *Imperiali* feudorum *regalium* capaces futuri, nisi interueniente *speciali agnatorum* consensu. Eodem censu vero nullatenus habendi esse videntur nati ex matrimonio cum femina *auitae* vel *immediatae nobilitatis* (*b*).

(*a*) Capitvlatio *Caroli VII. et Francisci* art. XXII. §. 4. *Noch auch denen aus unstreitig notorischer Misheurath erzeugten Kindern eines Standes des Reichs oder aus solchen Haus entsprossenen Herrn, zu Verkleinerung des Hauses, die väterliche Tituln, Ehren und Würden beylegen, vielweniger dieselben zum Nachtheil derer wahren Erbfolger, oder ohne deren besondern Einwilligung, vor ebenbürtig und successionsfähig declariren, auch wo dergleichen vorhin bereits geschehen, solches für null und nichtig ansehen und achten.* Conf. *Melch.* de ludolf de *iure feminarnm illustr. P. I. §. 9. I. Iac.* moseri *Staatsrecht tom. XIX. c.* 102. *§.* 91. *et seq.* Diss. mea de *impari matrimonio et iure liberorum ex eo nator. circa success. feud. §.* 19. 21.

(*b*) Moservs l. c. §. 141. 144. Diss. mea l. c. §. 22. De constituenda norma in diiudicandis coniugiis *indecentibus*, et *disparagio* aequiparandis, curam imperatoris excitarunt *Electores* in *literis collegialibus* d. d. 14. Febr. 1742. ad capitul. art. 22. §. 4. apud moservm in *obseru. ad Capitul. Caroli VII. p.* 13.

§. 333.

Liberi, *auctoritate Imperiali legitimati,* vi iuris communis feudorum imperii expertes sunt (§. 123.). Cum *vsualis* iuris communis *interpretatio* (*a*), vi cuius ad feuda admittuntur *legitimati*

per

per matrimonium (§. cit.), nulla *lege imperii* improbata ſit: iisdem *per matrimonium aequale legitimatis* haud neganda eſſe videtur ſucceſſio in feuda imperii; niſi vbi per pacta familiae excluduntur.

(*a*) Ad hanc, ceu in iudiciis imperii receptam, provocat *Wilh.* ITTERVS *de feudis Imp. c.* 14. *ʃ.* 2. Concluſum *Iudicii Imp. Aul.* de a. 1715. quo in familia Nobilium immediatorum *de* Kunsberg *legitimatus per ſubſequens matrimonium* in poſſeſſorio pro feudorum capace declaratus eſt, exhibet MOSERVS, ipſe licet diſſentiens, in *Reichs-Hofr. Proc. Tom. III. c.* 3. *ʃ.* 13.

§. 434.

Laicis tantum competit ius ſuccedendi in feudis Imperii ſecularibus, non vero *clericis*, niſi ſtatu clericali ab his prius legitime reſignato: idque vi *iuris communis* (§. 128.), in ipſo exemplo *electoratuum* agniti per *Auream Bullam* (*a*). Cum Euangelici per epiſcopatus, praelaturas aliaue Beneficia, eis obuenientia, dignationem *perſonae eccleſiaſticae* tantum ſortiantur, non vero ſuſcipiant *ordines*, *quibus ſuſceptis* tantum *clericatus* inducitur: iisdem ſalua eſt in feudis Imperii ſucceſſio (*b*).

(*a*) *A. B. cap.* 7. *ʃ.* 2. 3. 4. Quod Imperatores diſpoſitionem iuris feudalis, clericos a ſucceſſione arcentem, intuitu *feudorum imperii* et ſpeciatim intuitu *principatuum* pro *iure communi* olim agnouerint, *diſpenſatione* et *venia ſuccedendi* clericis in ſpeciali caſu aduerſus illud indulta, expoſui in diſſ. *de iuribus ex ſtatu militari Germ. pendentibus* cap. II. §. 13. Vid. MO-

MOSERI *Familien-Staatsrecht c.* 1. *§.* 15. In charta de a. 1318. in SCHEIDTII tr. *vom hohen und niedern Adel* in mantiss. docum. n. 82. p. 362. *Ioannes* et *Ludovicus*, Ottonis Strenui filii, renunciant successioni in Ducatu paterno: *dat we scoleth und willet Papen bliuen.*

(*b*) MOSERI *R. H. P. tom. III. cap.* 3. *§.* 8. *Dan.* NETTELBLADT de *clericorum euangelicorum in feuda secular. successione cap. V.*

§. 435.

Ceterum cum pro *successione feudali*, qua tali, sit praesumtio (§. 120.); feuda imperii praesumuntur esse *ex pacto et prouidentia maiorum* (§. 130.), nec censentur esse *hereditaria*, *Reichs-Erblehn*, nisi in his successionem hereditariam vel ratione *modi succedendi*, vel quod frequentius maxime in feudis oblatis factum, ratione *personarum*, veluti *feminarum*, constitutam esse appareat (§. 131) (*a*): vbi tamen semper obseruandum est, nec in his feminas admitti, nisi *in subsidium*, extincto videlicet stemmate masculino (§. 126.).

(*a*) Principatus *Pomeraniae citerioris* et Ducatus *Bremensis* et *Verdensis* feudi *hereditarii* qualitatem habent ex dispositione *Instr. Pac. Westph. art. X. §.* 1. 2. 3. vbi concessus est *Reginae Sueciae et futuris eius heredibus et successoribus regibus regnoque Sueciae;* eamque qualitatem seruant post cessionem ex parte Domui *Brandenburgicae* et Domui *Electorali Brunsuicensi* factam iuxta tabulas pacis a. 1720. in SCHMAVSSII *Corp. iur. Gent. Academ. p.* 1815.

§. 436.

§. 436.

Successori vero, virtute iuris succedendi, ipso momento, quo ipsi successio defertur, competit ius propria auctoritate apprehendendi vacuam feudi imperii possessionem (§. 106.) (*a*). Nec desunt remedia iuris, quibus successor viuo adhuc eo, cui succedit, ex eius *consensu* in euentum mortis eius constitui possit feudi possessio (*b*).

(*a*) CARPZOV *P. III. c.* 9. *def.* 27. *B. Parens tom. III. Cons. et dec. P. I. dec.* 145. *n.* 4. 6. 7.

(*b*) *Iustus* KORTHOLD *de possessione, ne contra eum, dum viuit, exerceatur.* §. 3. *Henr.* COCCEII *Deduct. illustr. tom. I. p.* 209, MOSER *Familien-Staatsrecht c.* 1. §. 7. Idem in *persönlichen Staats-Recht der Reichs-Stände P. II. lib.* 3. *c.* 13. §. 205.

CAP. VII.

CAP. VII.

De Ordine ſuccedendi legitimo et ſpeciali in feudis imperii.

ARGVMENTVM.

§. 437. *Ordo ſuccedendi legitimus et ſpecialis quoad obtineat in feudis imp.*
438. *Ius filiorum ſuccedendi aequale.*
439. *Introductio iuris primogeniturae.*
440. *Quatenus conſenſus Imperatoris ad illud introducendum neceſſarius ſit?*
§. 441. *Succeſſio linealis ex iure primogeniturae.*
442. *Succeſſio linealis iuris communis.*
443. *Succeſſio linealis pactitia.*
444. *Vſus II. F. 45. in feudis imp.*

§. 437.

Ordo ſuccedendi, iure *feudali communi* definitus (§. 134. ſeq.), *regulam* facit in feudis Imperii. Ordo ſuccedendi *ſpecialis* pertinet ad *iura ſpecialia* ſingulorum feudorum; isque conſtituitur vel *lege* vel *ſpeciali diſpoſitione*, veluti *literis inueſtiturae*, *pactis* et *obſeruantia familiarum*, et *teſtamentis* (*a*); et *inter eos* obtinet, qui *vi diſpoſitionis*, qua conſtituitur, obligari poſſunt (§. 147.). Niſi itaque ordinem ſuccedendi ſpecialem legitime conſtitutum eſſe appareat: locus eſt ordini ſuccedendi iuris communis.

(*a*) *Io. Steph.* PÜTTERI diſſ. *de normis decidendi ſucceſſiones familiarum illuſtr. controuerſas §.* 69.

§. 438.

§. 438.

Iure communi in feudis imperii aequo iure ſuccedunt *filii* et ex filio praedefuncto *nepotes* (§. 135). Poſſunt iidem vel in *communione feudi* perſiſtere, vel id *vni* aſſignare; nec id quidem, nec plura feuda, etiam regalia, in eodem Vaſallo vnita, *diuidere* prohibentur (§. 137.) (*a*).

(*a*) Aliud olim obtinuit in feudis *regalibus* ex conſtitutione FRIDERICI I. in II. F. 55. §. 2. Sed ipſa *obſeruantia imperii contraria* inducta eſt facultas feuda regalia diuidendi. MOSER *R. H. P. tom. III. cap.* 3. *ſ*. 60. Exemplum, quo RVDOLPHVS Habsburgicus filiis *Ludouici Seueri*, Bauariae Ducis, in ipſa inueſtitura facultatem dedit diuidendi principatus et feuda imperii, occurrit in *diplomate de a.* 1281. in *Origin. Guelf. tom. III. praef. p.* 66.

§. 439.

Ob *communionis diuiſionisque incommoda* melius proſpectum eſt ſplendori familiarum illuſtrium, introducto *iure primogeniturae* (§. 150.): quod in Electoratibus ſecularibus per *Aur. Bullam* (*a*), et in plerisque feudis *regalibus* et in nonnullis feudis *nobilium immediatorum* introductum eſt *ſpeciali* familiarum illuſtrium *diſpoſitione* (*b*). Quo introducto, feuda imperii non *ſingula* modo, ſed et *plura*, in eodem vaſallo vnita, *indiuidua* facta ſunt (*c*).

(*a*) *Aurea Bulla cap. VII. ſ.* 2. 3. 4.

(*b*) MOSERI *Familien-Staats-Recht cap.* 2.

(*c*) Hinc

(c) Hinc in Electoratibus ius primogeniturae restringi nequit ad solas terras Electorales: eoque respicere videntur verba CAPITVLAT. nouiss. art. 1. §. 2. *die weltliche Churhäuser bey ihrem Primogenitur - Recht, ohne dasselbe restringiren zu lassen, - - lassen.*

§. 440.

Etiamsi imperatoris, qua sublimis Domini directi, consensus ad introducendum ius primogeniturae in feudis imperii non sit necessarius (§. 149.) (*a*): vt tamen illud valeat intuitu *postgenitorum* eorumque *heredum*, *imperatoris*, qua talis, consensus desideratur (*b*), cum vi *imperii summi*, quod competit circa feuda imperii, per ipsam obseruantiam imperii firmati, minuere et differre possit ius postgenitorum, saluo *appanagio*, iisdem in feudis imperii constituendo.

(*a*) MOSERI *Staatsrecht lib.* 3. *cap.* 64. *§.* 7. *tom. XIII. p.* 474. et in *Familien Staatsrecht tom. I. cap.* 2. *§.* 117. 118. *Io. Vlr. de* CRAMER *tom. I. opusc. V. cap. II. §.* 2. *cap.* 203.

(*b*) Hoc sensu accipi potest sententia *Melch. a* LVDOLF. *de introd. iur primog* qui necessarium existimat consensum imperatoris *Part. spec. aph.* 13.

§. 441.

In primogenitura *praerogatiua successionis* datur *natu priori* prae *natu posteriori* in infinitum: ius praecipuum vero cuiuscunque natu prioris deuoluitur in *ipsius lineam.* Oritur inde SVCCESSIO LINEALIS EX IVRE PRIMOGENITV-

RAE,

RAE, *qua vi primogeniturae, inter descendentes in familia introductae, in omni successionis casu praerogatiua natiuitatis et lineae, et in qualibet linea praerogatiua natiuitatis obseruanda est.* Hinc successio, non nisi extincta linea *primogeniti*, deuoluitur ad lineam *secundo geniti*, nec prius, quam hac extincta, ad lineam tertio geniti, et sic deinceps (*a*).

(*a*) Ita CAROLVS IV. in *Aurea Bulla de iure et ordine succedendi in electoratum Saxoniae de a.* 1376. *in* DVMONT *corps diplomat. tom. II. P I. p.* 109. luculenter definiuit ordinem succedendi. Vid. *Marquard* FREHERVS *ad cap.* 7. *A. B. de successione principum in primogenitis et heredibus eorum. Arnold* ENGELBRECHT *de successione in Electoratibus ex iure primogenit. Io. Petr. de* LVDEWIG *in comment. ad A. B. c.* 7. *tom. I. p.* 704. *s.* Diss. mea de *ordine succedendi ex iure primogeniturae inter coinuestitos in feudis imperii* §. 22. *seq.*

§. 442.

Si primogenitura aliaue specialis succedendi ratio introducta non est, feudum, vi diuisionis vel assignationis vni ex pluribus feudi consortibus acquisitum, *iure communi* deuoluitur in eiusdem *lineam*, in eaque *proximitatis* ratio habetur (*a*): si vero *linea eius defecerit*, saluum est ius succedendi reliquorum agnatorum, *ex inuestitura primi acquirentis* competens (§. 138.) (*b*), nulla *linearum*, sed *proximitatis* tantum inter eosdem habita ratione (§. 144.). Oritur inde SVCCESSIO LINEALIS IVRIS COMMVNIS, quae est *ordo succeden-*

 di,

di, vi cuius, quousque ex linea eius, ad quem feudum vi diuisionis vel assignationis peruenit, superstes est feudorum capax, lineae et in ea proximitatis, linea ista vero extincta, solius proximitatis ratio inter agnatos habetur, nulla obseruata linearum praerogatiua (*c*).

(*a*) II. F. 50. vid. §. 144. not. (a) II. F. 37.

(*b*) II. F. 14. *Si vnus ex his filiis vel nepotibus sine descendentibus masculini sexus heredibus mortuus fuerit: praedicti fratres vel nepotes* PER INVESTITVRAM PATRIS VEL AVI in beneficium *succedunt.*

(*c*) Ad successionem linealem iuris communis pertinent, quae exposuit SCHILTERVS *de natura successionis feudalis cap. III. §. 4. seq.*

§. 443.

Monendum est, in nonnullis familiis illustribus, *pactis* et *obseruantia familiae*, seruari hanc *specialem successionem linealem*, eamque reuera PACTITIAM, vt extincta linea prima eius, cui feudum vel ex diuisione vel ex assignatione acquisitum est, in *lineis reliquis*, quae a diuidentibus feudumque assignantibus originem ducunt, non proximitatis sed *aequalis linearum ratio* habeatur, feudumque *per lineas* diuidatur (*a*). Cuius rei origo repetenda est a more antiquo feuda *quoad vsum et fructum* diuidendi vel vni assignandi, saluo condominio reliquorum feudi consortium in eodem feudo (§. 139.). Sed huic *speciali* succedendi

di rationi locus non *eſt*, niſi eam *pacto* vel *obſervantia* in familia conſtitutam eſſe appareat.

(*a*) Non niſi ad hanc ſpecialem ſucceſſionem pertinent, quae habet *Ge. Ern. Lud.* PREVSCHEN in *Rechtl. Ausführung, daſs die Lehnsfolge der Seiten-Verwandten in theilbahren Lehen nach den Stämmen und nicht nach dem näheren Grade zu beurtheilen ſey*, quae tamen probatione indiga eſt. Ita vi *probatae ſpecialis obſervantiae* iudicatum eſt in iudicio Camerae Imperialis in lite, poſt extinctam lineam *Comitum Rheingrauiorum Dhaunenſium mota* inter Comites Rheingrauios *Grumbacenſes* et *Principes Salmenſes* de ſucceſſione in feuda et allodia *per ſententiam* d. d. 20. Dec. 1764. *daſs Beklagte Herren Fürſten die nach Abgang des Rheingräflich Dhauniſchen Mannes-Stamms angefallene und alhier eingeklagte Abteylich St. Maximiniſche Lehen als auch derer dazu gehörigen Allodial-Orten mit denen Herrn Klägern, denen zwey Haupt-Stämmen nach zu zwey gleichen Halbſcheiden abzutheilen - - - ſchuldig.* Vid. MOSERI *Familien-Staats-Recht c. 7. §. 44. 45.*

§. 444.

Cum ſucceſſio in feudis imperii *iure communi* aeſtimetur, quoad aliud ſpeciali diſpoſitione conſtitutum non eſſe apparet: ſanctio *iuris Communis*, II. F. 45. in honorem nominis paterni conſtituta, non minus in feudis imperii obtinet ſecundum principia ſupra §. 140. expoſita (*a*).

(*a*) *Io. Wilh.* ITTERVS de *feudis imp. cap. XVIII. §. 9. Io. Vlr. de* CRAMER *obſ. iur. vniu. tom. I. obſ.* 251. 280. 422.

CAP. VIII.

De succeſſione feudali ſpeciali in feuda Imperii ex inueſtitura ſimultanea et euentuali, nec non ex expectatiua.

ARGVMENTVM.

§. 445. I. *Simultanea inueſtitura quatenus neceſſaria ſit ad ſucceſſionem in feuda Imp.*
446. *Ius ex ea deſcendens. Ordo ſuccedendi inter coinueſtitos.*
447. II. *Inueſtitura euentualis et expectatiua in feuda Imp.*
448. *Vtriusque legitima conceſſio.*
449. *Ex cuius temporis iure aeſtimetur?*
450. *Ius ex ea acquiſitum.*

§. 445.

INVESTITVRA SIMVLTANEA (§. 155. 160.) neceſſaria non eſt ad ſucceſſionem in feuda imperii, niſi vel ex *lege primae inueſtiturae* vel ex *obſervantia* in certis familiis ſit introducta (§. 160.) (*a*). Cauendum tamen eſt, ne ex indole inueſtiturae ſimultaneae Saxonicae aeſtimetur (§. 165.) (*b*).

(*a*) Hoc principio vtitur *Ordinatio iud. imp. Aul. tit. III. §. 12. In welchen Geſchlechtern und in denjenigen Reichs-Creyſen, da die ſimultanea inueſtitura hergebracht, und im Gebrauch, dabey ſolle ſolche auch gehalten und derſelben nachgelebt werden.* Exempla recenſet ITTERVS de *feud. Imp. cap. X. §. 7.* MOSERVS *l. c. P. III c. 4. §. 23. ſ.*

(*b*) *Chriſt. Henr.* de SENCKENBERG de *ſucceſſione ex ſimult. inueſtit. iure feudorum imp. communi* in *meditat. ex vniu. iure faſc. III. med. III.*

§. 446.

§. 446.

Simultanea inueſtitura inter *agnatos primi Acquirentis* et inter *extraneos* rationem vnicam continet ſucceſſionis in feuda imperii (§. 159.) (*a*). Sin inter agnatos, qui a *primo Acquirente deſcendunt*, vi obſeruantiae introducta eſt: pertinet potiſſimum ad demonſtrandam *ſucceſſionem ex iure ſanguinis*, cum qua coniuncta eſt (§. 164.). Quoad ergo recepta eſt in feudis imperii, in his, ſi receſſeris a deſcendentibus, nemo ſuccedit niſi *coinueſtitus* (*b*). *Ordo ſuccedendi* vero inter ſimultanee inueſtitos tum ex *diſpoſitione ſpeciali*, in literis inueſtiturae pactisue et obſeruantia comprehenſa, tum in eius defectu, ex *analogia iuris communis* definiendus eſt (§. 164.) (*c*).

(*a*) Exemplum eſt in *pace Weſtph. art. X. §.* 4.

(*b*) SCHILTER de *inueſtitura ſimult. principum imp. c. II. et III.* MOSERVS *in R. H. P. cap. III. §.* 69.

(*c*) Diſſ. mea de *ord. ſucced. ex iure primog. inter coinueſtitos in feud. imp. cap. II.*

§. 447.

In feudis imperii locus eſſe poteſt non modo INVESTITVRAE EVENTVALI, qua *feudum alteri conſtituitur in euentum, ſi imperio fuerit apertum* (§. 158. 166.), verum etiam EXPECTATIVAE, quae eſt *ius acquirendi feudum in euentum, ſi imperio aperiatur, ex legitima imperatoris conceſſione competens* (§. 173.).

§. 448.

Ius *Imperatoris*, dandi expectatiuas et inuestituras euentuales in feuda imperii, dependet a iure ipsius *de feudis apertis disponendi* (§. 405.). Cum cautum sit in *capitulatione* CAROLI V. art. 24. ne concessio feudorum Imperii MAIORVM apertorum ab imperatore fieret *inconsultis electoribus* (*a*): idem ex vi et ex ratione huius dispositionis ad *expectatiuas* productum est in *capitulatione* FERDINANDI II. *art.* 28. Explicatius ea de re actum est in *capitulatione* FERDINANDI VI. ne darentur absque *praescitu* et *consensu septem electorum* (*b*). Denique ad normam capitulationis perpetuae cautum est in *capitulatione* CAROLI IV. (*c*), ne expectatiua in *Electoratus* absque consensu *collegii Electoralis*, nec in *principatus*, *comitatus*, *et Dynastias imperii* daretur absque vtriusque *Collegii Electoralis et principum Imperii consensu* (*c*).

(*a*) *Io. Iac.* MASCOV de *expectatiuis in feuda imperii* §. 24. *Io. Iac.* HELFERICH de *casibus potioribus extinctae expectatiuae inprimis in feuda imp.* §. 7. 8.

(*b*) *Ioach.* MVLLERI *Reichstags-Theatrum sub Frid. III. P. I. c.* 23. §. 42. 43. *p.* 326.

(*c*) CAPITVL. *Caroli VI.* et *nouiss. art. XI.* §. 10. *Wann auch ins künftige Lehen dem Reich durch Todesfälle oder Verwürkung eröffnet und ledig heimfallen werden, so etwas merkliches ertragen, als Churfürstenthümer, Fürstenthümer, Graffschaft-Herrschaften Städt und dergleichen, die sollen und wollen wir, die Churfürstenthümer, ohne des Churfürstlichen Collegii, die Fürstenthümer Graff- und Herrschaften Städt und dergleichen*

gleichen aber, ohne Churfürstlicher, Fürstlicher, auch (wenn es nemlich eine Reichs-Stadt betreffen thut) Städtischer Collegiorum Vorwissen und Consens ferner niemand leihen, auch niemanden eine Expectanz oder Anwartuvg darauf geben.

§. 449.

Expectatiuae et inuestiturae euentuales ab Imperatore intra *limites potestatis*, capitulatione definitos, concessae, nomine *totius Imperii* datae esse censentur: ideoque vim et valorem earum ex *eo iure* aestimari oportet, quod viguit *tempore concessionis* (*a*).

(*a*) Hanc in rem additum est in CAPITVLAT. CAROLI VI. et *nouiss. art. XI. §. 12. doch uns von wegen unserer Erblanden und sonsten männiglich an seinen Rechten und Freiheiten, auch denen von unsern Vorfahren am Reich denen Ständen propter bene merita ertheilten und denen damahligen Reichs-Constitutionibus gemässen Anwartungen auf künftig sich erledigende Reichs-Lehen an ihrer Kraft und Bindlichkeit unschädlich.* (*Bernh. von* ZECH) *Gegenwärtige Verfassung der Kayserl. Regierung in Teutschland p.* 98.

§. 450.

Expectatiua in feudum imperii, legitime impetrata, *titulum* tribuit *illud acquirendi in euentum aperturae* (§. 177.), et inuestitura euentualis, eidem addita, *ius succedendi* in eundem euentum (§. 171.), sibique de possessione prospiciendi (§. 107.) (*a*). Vtriusque vis I) pendet ab *euentu aperturae* (§. 167.), ideoque ab euentu, quo *extincta*

ſunt iura omnium, quibus vel feudum conſtitutum eſt, etiam feminarum in feudo feminino, vel quibus ſucceſſio ex anteriori pacto confraternitatis debetur (*b*). Ex *ſola expectatiua* quidem II) non oritur ius vtendi *titulis* et *inſignibus feudi*, bene tamen ex *inueſtitura euentuali* (*c*). Denique III) *inualidum* eſt, quidquid ſuſcipitur ad ius, ſub euentu acquiſitum, imminuendum et labefactandum (*d*): ex eoque principio iudicandum eſt de *colliſione expectatiuarum* in feuda imperii.

(*a*) Moser *R. H. P. tom. III. cap.* 2. *§.* 19. 52.

(*b*) Capitvlat. *nouiſſ. art. XI.* §. 9. (vid. not. d.) *Selecta iuris publ. nouiſſ. Part. VII. c.* 14. *VIII.* 14. *IX.* 8. *X.* 5. *XI.* 8. *XII.* 5. *XIII.* 9. *XV.* 1. 2. *XVII.* 5. *XVIII.* 8. *XIX.* 4. *XX.* 7. *XXII.* 3. *XXIV.* 4.

(*c*) *Diet. Chriſt.* ihringk. in diſſ. *Num expectatiua in feuda imperii ius titulorum atque inſignium tribuat §.* 14. 19. (Herborn 1750.).

(*d*) Capitvlat. *nouiſſ. art. XI. §.* 9. *So dann diejenige, (Lehens-Brief- und Expectantien) welche denen von vorigen Kayſern ertheilten und beſtätigten Anwartungen, auch darauf beſchehenen und confirmirten Erb-Vergleichen zu praeiudiz, auf andere, ſo in den alten Lehen-Briefen nicht begriffen, extendiret worden, ganz ungültig ſeyn.*

Cap. IX.

Cap. IX.

De conseruatione feudi Imp. constituti per renouationem inuestiturae.

ARGVMENTVM.

§. 451. *Obligatio ad renouationem inuestiturae in feudis imp. in genere.*
452. *Pertinet ad omnes Imp. vasallos.*
453. *Petenda est ab Imperatore.*
454. *Temp. illam petendi.*
455. *Illius prorogatio, vel non obseruati poena.*
§. 456. *Requisita legitimae petitionis.*
457. *Decretum de admissione ad renouationem.*
458. *Vacante Imperio, quorum feudorum intuitu petenda sit a Vicariis Imp.?*
459. *In quonam mutationis casu, et quo effectu?*

§. 451.

Renovatio investitvrae *feudorum imperii* aestimanda est ex principiis *iuris feudalis communis*, pertinetque tum ad confirmandum *nexum feudalem* inter imperium et vasallos (*a*), tum ad confirmandum conseruandumque *ius feudi* ex anteriori inuestitura competens (§. 180. 181.). Quoties *itaque in feudis imperii mutatio contingit tam in persona Imperatoris, quam in persona vasalli possessoris*, et quod perinde est, *in persona prouasalli, toties inuestiturae renouatio intra annum et diem petenda est* (§. 182.). Casus mutationis, iure com-

muni definiti, non minus in feudis imperii attenduntur (§. 183.) (*b*).

(*a*) CAPITVL. *nouiſſ. art.* 10.

(*b*) De mutatione, qua fit morte vnius ex pluribus *feudi diuiſi* conſortibus, vna eademque inueſtitura comprehenſis, vid. *Ord. Iud. Imp. Aul. tit. III. ſ.* 9.

§. 452.

Ad eam petendam *generalis* eſt vaſallorum Imperii omnium *obligatio*, et ipſius Imperatoris et Auguſtae, qua primariorum Imperii vaſallorum (*a*) (§. 416.). Obſtringuntur eadem tum vaſalli *ſeculares*, quibus feudum ex *anteriori inueſtitura* actu delatum, tum vaſalli *eccleſiaſtici*, ceu eccleſiae prouaſalli, aliiue ſimiles prouaſalli. Eadem obligatio *ex obſeruantia imperii* pertinet ad *ſimultanee inueſtitos* (§. 184. 446.), ita tamen, vt horum omnium nomine et ex *ſingulorum coinueſtitorum* mandato *ſpeciali* et *ſeparato* eam vel a *vaſallo poſſeſſore* impetrari ſufficiat (*b*), vel a *Seniore familiae*, vbi viget *ius Senioratus* (*c*).

(*a*) De nexu feudali inter Imperatorem, qua *Vaſallum*, et inter Imperium vel *inueſtitura ipſa*, vel *literis reverſalibus* conſeruando, agitur in CAPITVL. *nouiſſ. art.* X. ſ. 11. Inueſtiturae CAROLI VI. a ſemet ipſo per ablegatos adminiſtros a. 1728. acceptae ratio exponitur *in der Reichs-Fama P. III. p.* 332. et in diſſ. IKENII in not. (a) ad §. 416. citata §. 15.

(*b*) *Ord. Iud. Imp. Aul. tit.* 3. ſ. 9. 12. MOSER *R. H. P. tom. III. c.* 4. ſ. 42. 85.

(*c*) MOSER *l. c.* ſ. 12. *ſ.*

§. 453.

§. 453.

Durante Imperii Regimine petenda eſt ab IMPERATORE, qua ſublimi feudorum imperii prodomino. In ea concedenda ſeruatur diſcrimen inter *feuda throni*, et ea quae *throni non* ſunt (§. 425.), vt videlicet feuda *Electorum* et *Principum Imp. ſecularium* et *eccleſiaſticorum*, et quae his aequiparantur, ab *Imperatore ipſo* coram Solio, reliqua feuda imp. ex eius auctoritate a *Iudicio Imp. Aulico* dentur in renouatam inueſtituram.

§. 454.

Tempus *anni et diei*, renouandae inueſtiturae iure communi praefixum (§. 187.), ſeruatur in *feudis Imperii* (*a*): idque I. in mutatione in *manu dominante in feudis non throni* computatur a *cognita morte* Imperatoris, et in feudis *throni* ab *electione noui Imperatoris* (*b*), vel Rege Romanorum iam electo, ab *auſpiciis imperii*, II. in mutatione vero in *manu ſeruiente*, quoad feuda *ſecularia*, a tempore *delatae ſucceſſionis*, et quoad feuda *eccleſiaſtica* a tempore *canonicae prouiſionis*, a tempore videlicet, quo praelatus per electionem vel per poſtulationem eccleſiae praeeſſe incipit (*c*).

(*a*) *Ius feud. Alem. c.* 133. *Ord. Regimenti a.* 1521. *ſ.* 4. CAPITVL. *Nouiſſ. art. XI. ſ.* 5. MOSER l. c. c. 4. §. 47.

(*b*) SCHRADER *de feud. P. VI. c.* 2. *n.* 24. PFEFFINGERVS *ad Vitriarium lib.* 2. *tit.* 1. *p.* 934.

(*c*) *Inſtr.*

(c) *Instr. Pac. Osn.* art. V. §. 21. *Electi aut postulati in Archiepiscopos, Episcopos aut Praelatos, Augustanae confessioni addicti, a S. Caesarea Maiestate, postquam intra annum Electionis aut Postulationis suae fidem fecerint, et iuramenta regalibus sueta feudis praestiterint, absque vlla exceptione inuestiantur.*

§. 455.

Intra tempus praefixum, nisi iustum impedimentum interueniat (§. 189.) (*a*), abscisse petenda, vel *indultum feudale* impetrandum est (§. 188.). Eamdem *legitime* petitam esse sufficit, ad euitandam poenam non petitae renouationis: in qua tamen decernenda moderanda est iurisdictio: cum ei nequidem iure communi locus sit nisi ob *dolum* et *contemtum domini* (§. 190.). Hinc vsu seruatur, morosos vasallos edictis commonefacere (*b*) sub poena iuris: et moram purgare licet (*c*).

(*a*) *Instr. Pac. Osn. art. IV.* §. 50.

(*b*) *Conclusum Iud. Imp. Aul.* 13. *Aug.* 1749.

(*c*) MOSERVS l. c. c. 4. §. 50. s. et in tr. *von der Teutschen Lehens - Verfassung lib. I. c.* 9. §. 15.

§. 456.

In renouatione legitime petenda haec obseruanda sunt (*a*), vt 1) exprimatur *casus mutationis*, isque 2) siquidem contingit in *manu vasalli*, summarie *probetur*, veluti per *documentum mortis vltimi vasalli*, 3) vt doceatur *titulus feudi delati*, et quidem in feudis secularibus *titulus successionis*,

et

et in ecclesiasticis *titulus canonicae prouisionis*, exhibito *decreto electionis* vel *postulationis*, quod sufficit inter praelatos Euangelicos (§. 454.), nec non exhibita Bulla confirmatoria et notificatoria, vt 4) ostendatur anterior inuestitura, exhibito exemplo *literarum inuestiturae anterioris*, e cancellaria Imperii repetendo, vtque 5) exhibeantur *mandata procuratoria* tum *ipsius vasalli inuestiendi* tum, si qui sunt, *coinuestitorum*, ad inuestituram *petendam* et *recipiendam*, et nominatim ad *praestandum fidelitatis iuramentum directa* (*b*).

(*a*) De his requisitis omnibus vid. *Ordinat. iud. Imp. Aul. tit.* 3. *§.* 7. 8. MOSERI *R. H. P. tom. III. c.* 4. *§.* 67. *s.* *Io. Christ. de* VFFENBACH de *Consilio Imperiali Aulico Cap.* 11. *p.* 121.

(*b*) Ab his differunt *literae credentiales* a legato Vasalli, coram throno inuestiendi, apud aulam Caesaream exhibendae. MOSER *l. c. cap.* 4. *§.* 98.

§. 457.

Supplicatio pro renouatione inuestiturae exhibenda est in *Iudicio Imperii Aulico*, penes quod praeuia cognitione de his, quae iuxta §. ant. in ea requiri solent, ius est decernendi de *admissione ad inuestituram*, exposito *voto ad Imperatorem*, si agitur de inuestitura feudorum throni. Decernenda vero et danda est inuestiturae renouatio *sine difficultate*, literis inuestiturae renouatae iuxta *tenorem literarum anteriorum*, nisi iusta eas immutandi ratio interueniat, expediendis (*a*).

(*a*) CA-

(*a*) Capitvl. *nouiſſ. art. XI.* §. 1. 2. *ſollen und wollen die Lehen und Lehen-Brief - - jedesmahl nach dem vorigen Tenor, in ſo weit nicht die inzwiſchen von Seiten dererſelben vorkommende beſondere Umſtände eine andere Einrichtung erfordern, unweigerlich und ohne alle Contradiction, als welche zum rechtlichen Austrag zu verweiſen, ohngehindert widerfahren: dabey auch dieſelben mit der edition der alten Pactorum familiae nicht beſchweren, vielweniger die Reichs-Belehnung wegen erſtgedachter Edition der pactorum Familiae - - noch wegen der illiquiden und ſtrittigen Lehntaxen oder Laudemial-Gelder, und dergleichen, aufhalten.* Vid. *obſ.* meae *iur. feud.* obſ. X. de *obligat. domini in renouat. inueſt. ſine difficultate concedenda.*

§. 458.

Si *vacare* contingat *Imperium R. G.* pro *conſeruando nexu feudali* inter Imperium et vaſallos; (§. 451.) Vicariis, ceu *Prouiſoribus Imperii*, intra *fines* cuiuslibet *Vicariatus* (*a*) lege publica datum eſt ius concedendi inueſtiturae renouationem de feudis imperii, *feudis Principum duntaxat exceptis*, *et illis*, *quae Vanlehen vulgariter appellantur* (*b*): quorum nomine accipiuntur *feuda throni* (*c*) (§. 423. 425.), imperatoris inueſtiturae ſpeciatim reſeruata.

(*a*) Capitvlatio *nouiſſ. art.* 3. §. 18. *Capitulatio* Iosephi II. *Rom. Regis art.* 3. §. 18. 19.

(*b*) Aurea Bulla c. V. §. 1. 2. *Io. Carol.* Koenig *Abhandl. von Reichsvicariats-Gerechtſamen Part. I.* §. 61. p. 94. De iure *Vicariorum Italiae* conf. diſſert. Viri Illuſtriſſimi *Gerlachi Adolphi* de Münchhavsen de *Vicariatu Italiae cap. IV.* §. 6.

(*c*) Capitvlatio *nouiſſ. art. XI.* §. 7. *Io. Iac.* Moser *von Kayſerl. Regierungs-Rechten P. I. p.* 798.

§. 459.

§. 459.

Ius illud Vicariis Imperii non competit ex *ſucceſſione in dominium directum* (*a*), ſed ex *prouiſione Imperii vacantis* (*b*). Itaque inueſtiturae renouatio, coram illis petenda, *neceſſaria* tantum eſt in eodem *mutationis* caſu, quo petenda eſt *coram Imperatore*, cuius vice funguntur iuxta leges Imp. maxime I. in caſu mutationis *in manu vaſalli*, forte ſi annus et dies a mutatione vltimi vaſalli, vel tempus *impetrati indulti* durante interregno expirauerit; II. ob mutationem vero in *perſona Imperatoris* contingentem, tum demum, ſi interregnum producatur vltra annum (*c*). Hinc et renouatio inueſtiturae a Vicariis Imp. legitime data, perinde habenda eſt, ac ſi a *futuro electo imperatore* data eſſet, ideoque ob *eundem mutationis caſum* noua eiusdem feudi recognitione coram Imperatore poſtea electo opus non eſſe videtur (*d*).

(*a*) Ita tamen cenſet, et Vicariis, *ceu nouis dominis directis*, ius id tribuit *Io. Ad. de* ICKSTATT *in vindiciis iuris Caeſarei inueſtiendi vaſallos, qui tempore interregni feuda a vicariis recognouerunt* §. *XI.* Sane cum tempore Interregni *vacare* dicatur *S. R. Imperium* in *A. B. cap. V.* §. 1. in eodem non niſi de *iurium vacantium prouiſione agitur.*

(*b*) *A. B. cap. V.* §. 1.

(*c*) *Ius feud. Alem. cap.* 142. §. 2. *Euocationes vaſallorum generales*, in interregno a. 1658. et 1741. a Vicariis Imp. factas, exhibet *Io. Carol.* KOENIG *l. c. P. I.* §. 26. *ſ. P. II.* §. 34. *ſ.* MOSER *Staats-Recht* tom. VII. p. 642. *tom. VIII.* p. 92. 98.

(*d*) Quae

(*d*) Quae de *feudis minorum*, ab eorum *tutoribus* recognitis, ab ipsis vasallis in maiori eorum aetate haud recognoscendis, cauta sunt in CAPITVL. CAROLI VI. et *Nouiss. art. XI. §. 5. 6.* eadem *l. c. §. 7. in genere extensa* sunt ad feuda, coram *vicariis Imperii vi A. B. recognita. Welche Meinung (wegen nicht anzuhaltender anderweitigen Emphangnis solcher Lehen und Regalien) es dann auch haben solle mit denenjenigen Lehen, welche die Reichs-Vicarien in Kraft der güldenen Bulla (als worinnen die von uns coram Throno zu empfangende Lehen allein ausgenommen sind) verleihen können:* idemque apparet ex his, quae de *hac extensione* acta sunt in *capitulatione perpetua* apud MOSERVM in *Anmerkungen ad capit. Carol. VII. p.* 143. His derogatum est dispositioni *A. B. cap. V.* §. 1. Leuiora sunt argumenta, quae aduersus *interpretationem cit. art.* mouet *Io. Ad. de* ICKSTATT l. c. §. 17. quibus *verba citata* restringit ad *feuda minorum*, per tutores *a Vicariis* recognita. Nec quisquam facile probabit argumentum, ab eo §. 22. prolatum: Imperatori defuncto succedere Vicarios, tamquam *nouos dominos directos*, et his iterum *electum Rom. Regem et Imperatorem:* nouumque ideo emergere *mutati domini* casum. Conf. *Io. Henr. Christ. de* SELCHOW *Iuristische Bibliothek tom. I. p.* 485. *Christ.* RAV. *de vasallis imp. ab inuestitura feudorum, quae tempore interregni a Vicariis S. R. I. recognouerunt, coram Imperatore postea electo immunibus. Lips.* 1777.

CAP.

Cap. X.

De praeſtationibus intuitu inueſtiturae de feudis imperii faciendis.

ARGVMENTVM.

§. 460. *Laudemium.*
461. *Taxa feudalis ratione feudorum a Iudicio Imp. Aul. conferendorum.*
462. *Iura Cancellariae tam ordinaria quam extraordinaria.*
463. *Xenia pro ſeruitio Throni ſoluenda.*
§. 464. *An ſimplum duntaxat harum praeſtationum ſoluendum?*
465. *Ab epiſcopis Euangelicis vltra ordinariam ſummam debetur adhuc dimidium.*
466. *Praeſtitis demum praeſtandis, admiſſio fit ad inueſtituram.*

§. 460.

I. Lavdemivm, quod ob collatam inueſtituram Domino directo ex *ſpeciali ratione* praeſtari ſolet (§. 195. 196.), de feudis imperii non niſi, *eadem interueniente ratione*, ideoque vnice ob inueſtituram exigi poteſt, quae fit de feudo, *nouo titulo* acquiſito, vel ſucceſſionis iure delato ad *collaterales*, non *coinueſtitos*. In *ſimultanea inueſtitura* comprehenſi, ab eodem prorſus *immunes* ſunt (*a*). Pertinet laudemium ex indulgentia Imperatorum hodie ad emolumenta *Iudicii Imperii Aulici* (*b*), cuius arbitrio et iudicio quantitas eius pro conditione feudorum imperii definitur,

quamquam *pro* eius *moderatione* ſupplicare integrum ſit (*c*).

(*a*) CAPITVLAT. *Nouiſſ. art. XVII. §. 19. Vielweniger die Churfürſten Fürſten und Stände mit denen Laudemien und Anfalls-Geldern von denen Lehen, darmit ſie albereit coinueſtirt geweſen, oder ſonſt mit ungewöhnlichen und neuerlichen Anforderungen, nicht beſchweren noch beſchweren laſſen.*

(*b*) Totius Laudemii ſumma diuidi ſolet in XX. partes, ex quibus vna portio *Vice-Cancellario Imperii*, dupla *Praeſidi Senatus aulici*, ſimpla cum dimidio eiusdem *Praeſidi Vicario*, et ex XVI *Conſiliariis Aulicis*, qui eiusdem participes fiunt, vnicuique ſimpla, et *Secretario Senatus* dimidium obuenit.

(*c*) MOSER R. H. P. cap. 4. §. 110.

§. 461.

Intuitu feudorum, a *Iudicio Imp. Aulico conferendorum*, debetur *Taxa feudalis*, iudicio Imp. Aulico ſoluenda pro opera inueſtiturae. Pertinet haec praeſtatio ad *omnem* inueſtituram in *Senatu Aulico* peragendam. Huic ergo obnoxii non ſunt Electores et Principes imperii ratione feudorum throni (*a*).

(*a*) *Erneuerte Reichs-Hoff-Canzley-Tax-Ordnung d. d. 6. Ian.* 1659. apud VFFENBACHIVM *de Conſ. Imp. Aul.* in *app. II.* p. 44. ibi: *Hiebey iſt zu wiſſen, daſs die Teutſche fürſtliche Belehnungen keinen Tax, ſondern nur allein die Hof-Aemter bezahlen: da aber der Fall komt, daſs ein ſolches Lehen oder Regal nach Abſterben einer Lini auf eine andere fallen thut, iſt zum erſten mahl nach Beſchaffenheit des Lehens davon eine gewiſſe Tax und iura* (laudemium et Anfalls Gelder) *zu bezahlen, und ſollen in ſolchen Fällen der Taxator und Gegenſchreiber jedesmahl eine proportionirte Lehentax*

tax auffetzen, jedoch auch vorhero, ehe ſolche den Partheyen angeſetzt wird, mit dem Herrn Reichs-Vice-Canzler hieraus communiciren, und ſich eines gewiſſen vergleichen.

§. 462.

II. Ratione eorum, quae expeditionem inueſtiturae concernunt, *Cancellariae imperii et Officio taxae* ſoluenda ſunt *honoraria*, quae *iura taxae et Cancellariae* vocantur. Inter haec alia ORDINARIA ſunt, videlicet *iura cancellariae*, pro expeditione literarum inueſtiturae intuitu cuiuslibet inueſtiturae ſoluenda (§. 198) (*a*): alia EXTRAORDINARIA, quae Cancellariae Imperii praeſtantur in eadem ſpecie inueſtiturae, ob quam *Senatui Aulico* debetur laudemium (§. 460.), videlicet ratione inueſtiturae, vel ex *nouo titulo* vel collateralibus faciendae, Anfalls-Gelder (*b*). Continent tres praeſtationum ſpecies, I. *taxam maiorem*, Electori Moguntino, qua Archi-Cancellario Imperii, II. *Regalia*, Vice-Cancellario Imp. et III. *iura cancellariae*, Officialibus Cancellariae in ea quantitate ſoluenda, quae ſolet ab ipſo *Officio Taxae Cancellariae imperialis* pro ratione red-itnum feudi definiri: cuius tamen moderationi tanto magis locus relinqui debet, quod taxae quantitatem *comitiali compoſitione* definire dudum viſum ſit (*c*).

(*a*) MOSER *R. H. P.* cap. 4. §. 119.

 (*b*) CA-

(*b*) CAPITVLAT. *nouiss. art. XVII. §.* 19. vid. *not. a*) ad §. 460. *Io. Ge.* ESTOR de *Ordinibus regni a laudemio pecuniaque successoria beneficio Sanctionis Imp. Caroli VII. cap. II. §.* 2. *et cap. XVII. §.* 18. 19. *immunibus. Erneuerte Reichs - Hoff - Canzley - Taxordnung* de a. 1659. vid. not. *a*) ad §. *ant.* MOSER *Teutsche Lehns - Verfassung p.* 288.

(*c*) CAPITVLAT. *nouiss. art. XVII. §.* 17.

§. 463.

III. In *inuestitura* feudorum throni speciatim exiguntur tum 1) XENIA, pro *seruitio throni* praestanda *officialibus Imperii hereditariis vel aulae Caesareae (a)*, tum 2) munuscula, *inferioribus aulae Caesareae officialibus debita (b)*. A prioribus immunes sunt Principes *Electores* (*c*).

(*a*) Quantitas eorum per *A. B. cap. XXIX. §.* 2. definita est *sexaginta trium marcarum argenti cum vno fertone:* cuius rationem expendit LVDEWIGIVS ad A. B. tom. II. p. 1218. Hodie eorum summa computatur ad 1081. florenos. *Staats - Canzley tom. II. p.* 254. vid. Append. N. XIX.

(*b*) MOSER *l. c. cap.* 4. *§.* 127. *Staats - Canzley l. c. p.* 253. Summa munusculorum minorum esse hodie solet 223. florenorum 34. Xr. vid. app. N. XX.

(*c*) *A. B. cap. XXIX. §.* 1. *Nam pecunia, quae tali praetextu persoluitur, officiatis debetur. Cum ergo ipsi principes electores cunctis imperialis curiae praesint officiis, suos etiam habentes in officiis huiusmodi substitutos, datos ad hoc a Romanis principibus et dotatos, videtur absurdum, quod substituti Officiales a suis superioribus quocunque quaesito colore xenia postularent: nisi forte ipsi principes electores sponte liberaliter his aliquid largirentur.*

§. 464.

§. 464.

Ex ratione praedictarum praestationum intelligitur, intuitu *vnius eiusdemque inuestiturae*, quae de *pluribus feudis* simul fit, non nisi *simplum* earumdem praestationum deberi (*a*). Quae ratio licet interueniat intuitu vnius eiusdemque inuestiturae, quae fit ob *multiplices* in manu domini et vasalli *mutationum casus;* solet tamen *ipso vsu totuplex taxae ordinariae* et *Xeniorum Aulicorum* praestatio exigi, *quot* intercesserunt mutationum casus (*b*).

(*a*) Capitvl. *nouiss. art. XVII. §.* 6. *In der Lehen-Tax wollen wir bey der Verordnung der guldenen Bull, vermöge deren von einer Belehnung, wann gleich verschiedene Lehen empfangen werden, mehreres nichts als ein einfacher Tax zu entrichten, verbleiben, und darwider kein Herkommen, Einwenden, noch einige Erhöhung ohne der Stände Willen aufkommen lassen.* Quae verba adeo perspicua sunt, vt ratio omnis desit, eadem *restringendi* ad *feuda minora*, principatibus aliisve feudis regalibus annexa.

(*b*) *Selecta iuris publici nouiss. tom. XVII. cap.* 4. *et* 7.

§. 465.

Intuitu inuestiturae feudorum ecclesiasticorum, quae datur *episcopis Euangelicis*, hoc singulare cautum est in *Pace Westphalica* (*a*), *quod vltra taxae ordinariae summam insuper dimidium pro infeudatione pendere* teneantur: quo loco, *taxae* nomine, non *taxam feudalem*, cui obnoxii non

 sunt

ſunt *principes Imperii* (§. 461.), ſed *iura Cancellariae* et *Xenia*, Officialibus aulae debita, intelligi, palam eſt (*b*).

(*a*) art. V. §. 20.

(*b*) MOSER *R. H. P. tom. III. c.* 4. *§.* 126.

§. 466.

Solutio eorum, quae intuitu inueſtiturae praeſtanda ſunt, iuxta *ſtilum curiae imperialis* (*a*) facienda eſt *intra menſem*, ex quo decreta eſt admiſſio *ad inueſtituram*. *Lege Imperii* tamen ſimul cauetur (*b*), ne *difficilis* reddatur inueſtitura exactione vel *nouarum* praeſtationum, vel *illiquidarum* et *litigioſarum*. Tales facile euadere poſſunt ex eo, quod arbitrium maxime in determinanda quantitate laudemii et taxae extraordinariae ſit penes *Iudicium Imperii Aulicum* et penes *Officium taxae* (*c*).

(*a*) Quem definiunt Decreta communia Iudicii Imp. Aulici apud VFFENBACH. *l. c. in append. II. p.* 3. 5.

(*b*) CAPITVL. *nouiſſ. art. XI. §.* 2. *noch wegen ſtreitigen und illiquiden Lehen Taxen* (die Reichs-Belehnung) *aufhalten:* et iuxta *art. XVII. §.* 19. *mit ungewöhnlichen und neuerlichen Anforderungen nicht beſchweren noch beſchweren laſſen.*

(*c*) Diſpoſitio *capitulat. nouiſſ. art. XVII. §.* 17. hactenus effectu caruit.

CAP.

Cap. XI.

De Conſtitutione feudi Imperii per prae-ſcriptionem.

§. 467.

Quae de conſtitutione feudi per *praeſcriptionem acquiſitiuam* dicta ſunt (§. 199. ſ.), non minus applicari poſſunt ad *Feuda Imperii.* Per eam tum I. Imperio R. G. acquiri poteſt *dominium directum* in bonis allodialibus, maxime in bonis, feudo iunctis, et bona fide literis inueſtiturae inſertis, et ſic *allodium* in *feudum*, et feudum *prouinciale* praeſcriptione immutari in *feudum imperii;* tum II. vaſallo acquiri poteſt *dominium vtile* per poſſeſſionem bonae fidei ſub nexu feudali continuatam, et quidem vel contra *tertium* ordinario tempore, tum contra *Imperium* per *poſſeſſionem immemorialem* (*a*) iurium regaliumque ſub nexu feudali exercitorum, maxime occaſione generalium formularum literarum inueſtiturae (*b*).

(*a*) *Diet. Herm.* KEMMERICH de *ſtatu reipubl. Germ. feudalis cap. II.* §. 13. *I. Aug.* HELLFELD de *auctoritate vetuſtae poſſeſſionis in cauſis praeſertim illuſtrium, cap. II.*

(*b*) CAPITVLAT. *nouiſſ. art.* 1. §. 6. *wir ſollen und wollen Churfürſten Fürſten und Ständen, (die unmittelbahre Reichs-Ritterſchaft mit eingeſchloſſen) ihre Regalien, Obrigkeiten, Freyheiten, Priuilegien — Gerechtigkeiten, Gebräuche und gute Gewohnheiten,* ſo ſie bishero gehabt, oder in Uebung geweſen — *confirmiren, ſie auch dabey als Römiſcher König handhaben und — ſchützen.*

SECTIO II.

DE IVRIBVS ET OBLIGATIONIBVS EX FEVDO CONSTITVTO DESCENDENTIBVS INTVITV FEVDORVM IMPERII.

CAP. I.

De iuribus domini et obligationibus vasallorum intuitu feudorum Imperii.

ARGVMENTVM.

§. 468. *Dominium directum imp. feudorum.*
469. *An cedi vel dimitti possit intuitu certorum feudorum.*
470. *Ius in exigenda fidelitate*
471. *nec non in seruitiis militaribus*
§. 472. *et non militaribus.*
473. *Iurisdictio feudalis voluntaria et contentiosa.*
474. *Quomodo hodie exerceatur?*
475. *Eius exercitium tempore interregni.*

§. 468.

Quamquam *dominium directum* feudorum imperii pertineat ad *dominium publicum sacri Imp. R. G.: Imperatori* tamen, *qua tali*, competit iurium omnium, quae eidem insunt, *exercitium*, quoad legibus imp. adstrictum non est ad *Consensum Statuum imperii;* ac proinde *Vasalli Imperii* sunt in nexu feuda-

feudali *Imperii* et *Imperatoris*, *qua talis*. Cura ſuprema tum pro tuendo et conſeruando *nexu feudali* inter Imperium et vaſallos (*a*), tum pro *redintegrandis clientelis Imperii* (*b*) ad officium Imperatoris in legibus Imperii refertur.

(*a*) CAPITVL. *nouiſſ. art. X.* §. 10. *In alle wege ſollen und wollen wir uns angelegen ſeyn laſſen, alle dem Römiſchen Reich angehörige Lehen und Gerechtigkeit, inn- und auſſerhalb Teutſchland, ſonderlich in Italien, unter andern nach maasgab des Reichs-Schluſſes vom 9. Dec.* 1722. *aufrecht zu erhalten und derentwegen zu verfügen, daſs ſie zu begebenden Fällen gebührlich empfangen und renoviret, auch wider alle unbillige Gewalt die Lehen und Lehen-Leute manuteniret und gehandhabet werden.* Conf. *Ord. iud. Imp. Aul. cap. III.* §. 14.

(*b*) *Receſſ. Imp. a.* 1566. §. 126. *et a.* 1570. §. 105. CAPIT. *nouiſſ. art.* X. §. 6. 7. *Iuſt. Ge.* CHLADENIVS de *iure redintegrandi clientelas exemtas* §. 6. *ſ.*

§. 469.

Ex quibus intelligitur, Imperatorem dominium directum *feudorum maiorum* nec alteri *cedere* (*a*), nec in *ipſum Vaſallum* transferre, feudumque imperii in *allodium* conuertere poſſe absque *Statuum Imp. conſenſu* (§. 405.).

(*a*) *Io. Frid. Nob. a* FREISLEBEN de *mutatione Domini in ſubfeudis imp. absque conſenſu vaſalli inualida* §. 9. 10.

§. 470.

Iura *dominii directi* intuitu feudorum imperii, et quae his reſpondent *obligationes vaſallorum* ea-

dem ſunt, quae ſupra (§. 212. ſeq.) generatim ſunt expoſita. Praecipuum eſt *ius exigendi iuramentum fidelitatis*, *Imperio* et *Imperatori*, *qua tali* (*a*), praeſtandum: quo in *ipſa inueſtitura* eiusque *renouatione* firmatur nexus feudalis intuitu feudorum imp.

(*a*) CAPITVLAT. *nouiſſ. art. XI. §. 3. noch die Reichs-Lehen-Pflicht auf unſer Haus zugleich richten.*

§. 471.

Ius exigendi a Vaſallis Imperii *ſeruitia militaria* et *honorifica* olim maxime conſpicuum fuit in *expeditione Romana*, tum *coronationis Imperialis* tum *expeditionis militaris* cauſa ſuſcepta. Superſunt eiusdem reliquiae in *ſeruitio feudali* (*a*), in bellis, ab Imperio decretis, in determitano equitum peditumque numero a Vaſallis imperii praeſtando, vel pecunia redimendo iuxta *matriculam*, *expeditionis Romanae cauſa* in Comitiis Wormatienſibus a. 1521. confectam (*b*).

(*a*) ITTERVS de *feud. imp.* cap. XX. §. 7. Nec mouet, quod obiicit MOSERVS in *R. H. P. tom. IV.* c. 6. *§.* 4. 5. easdem praeſtationes ideo pro *feudali ſeruitio* haberi non poſſe, quod non modo a *Vaſallis Imp.* verum etiam ab *aliis Imp. Statibus* obeundae ſint: nihil enim impedit, quo minus eadem ſeruitia, a Vaſallis ex *nexu feudali* praeſtanda, ab aliis ex *nexu ciuili* praeſtentur. Multoque minus obſtat, quod *modus collectandi* ſecundum expeditionem Romanam *productus* ſit ad *cauſas non feudales:* quod contigit ſaluo ſeruitio feudali, ex *nexu feudali* iuxta *eundem modum* praeſtandum.

(*b*) Eri-

(*b*) *Ericus* MAVRITIVS de *S. R. I. matricula* §. 24. *s. inter differt.* eius p. 169.

§. 472.

Vsitata olim fuerunt seruitia tum *honorifica*, honoris Imperatori exhibendi causa *ipso comitatu Vasalli* exhibenda (§. 242.); tum *iudicialia* (§. 243.), in *curia Imperii feudali* a Vasallis imperii explicanda; tum et *palatina* (§. 246.), ex speciali indole nonnullorum feudorum in *determinatis aulae ministeriis* praestanda: quorum reliquiae seruantur in functionibus solennibus ab Electoribus secularibus, ceu *Imperii Archiofficialibus*, in coronatione Imperiali exhibendis (*a*).

(*a*) *A. B. tit.* 27. §. 2. 3. 4. 5. 6.

§. 473.

Iurisdictio feudalis tam *voluntaria* quam *contentiosa*, pendente regimine Imperii, Imperatoris est (§. 222. 223.). Solenne fuit olim, vtramque exercere in *curia feudali* (§. 421.) (*a*), cui vel *ipse Imperator* praeerat, vel vice eius *iudex curiae* (*b*): cuius partibus fungebatur *Comes Palatinus* in caussis, Imperatorem concernentibus (*c*).

(*a*) *Io. Ge.* ESTOR de *iudicio principum* §. 43. *s. Io. Iac.* MASCOV de *paribus curiae* §. 10.
(*b*) *Henr. Christ. L. B. de* SENCKENBERG de *iudicio Camerali hodierno* §. 5. *Obs.* meae *iur. feud. obs. XI.* de *iudice Curiae feudal.* §. 7. 8.
(*c*) *A. B. c.* 5. *Cit. Obs.* §. 9.

§. 474.

§. 474.

Erectis perpetuis Imperii tribunalibus, ea quae iurisdictionis *voluntariae* sunt, in *iudicio Imperii aulico* tractantur, voto desuper ad Imperatorem facto. Causae iurisdictionis *contentiosae*, quoad feuda Imp. Germanica, non minus ad *Iudicium Imperii aulicum*, quam ad *Cameram Imperii* pertinent, exceptis caussis, *feuda imperii maiora* concernentibus, quoad agitur de iisdem *integris* vni alteriue parti per sententiam definitiuam in petitorio, videlicet in *totum* et *definitiue*, *gänzlich und endlich*, abiudicandis, soli quippe *iudicio Imperii aulico* reseruatis (*a*).

(*a*) Reseruauit sibi easdem CAROLVS V. in *Ordinat. Regimenti de a.* 1521. *§.* 7. et FERDINANDVS II. in *Ordinat. Camerali P. II. tit.* 7. *Ob auch Sachen fürfielen, Fürstenthum, Herzogthum, Graffschaften etc. belangend, so vom Reich zu Lehen rühren, so einem Theil gänzlich und endlich abgesprochen werden sollen, derselbigen Erkändtnis wollen wir uns als Römischer Kayser, doch sonst in andern Sachen dieser Ordnung unabbrüchlich, vorbehalten haben.* Ob lites de huius sanctionis sensu inter ipsa *Imperii tribunalia* motas, et ob *querelas*, ea de re a *Statibus Imp.* propositas, apud MOSERVM *in Anmerkungen über* CAROLI VII. *Wahl-Capitulation Part. III. p.* 174. Imperatori commendata est cura *interpretationis authenticae* ab Imperio requirendae per *literas Coll. Elector. d.* 14. *Febr.* 1742. ibid. *Part. I. in app. p.* 7. Casus in controuersiam reuocatos recenset LVDOVICI *Lehns-Procefs Cap. I. §.* 35-42. ITTERVS de *feud. Imp. c.* 25. *§.* 6. *f. Io. Bas.* KVCHELBECKER de *iure et modo cognoscendi de feudis Imp.* apud IENICHEN *th. iur. feud. tom. I. p.* 716. *Phil. Ad.* VLRICI de *feudorum regalium iudice in imperio*

rio ibid. p. 746. *Staats - Canzley tom. XV. p.* 485. *de* CRAMER *Nebenſtunden P.* 15. *obſ.* 4. *p.* 34. MOSER *von der Teutſchen Iuſtiz - Verfaſſung* lib. 2. c. 31. §. 34.

§. 475.

Cum vacante Imperio Vicariis Imperii generatim data ſit *poteſtas iudicia exercendi* (*a*): iisdem et iurisdictio feudalis intuitu feudorum imperii, ſiue *regalia* ſiue *non regalia* ſint, competere videtur (*b*).

(*a*) *A. B. c. V.* §. I. CAPITVL. *nouiſſ. art.* 3. §. 16.

(*b*) Huius quaeſtionis in vtramque partem inter ICtos tractatae argumenta diligenter recenſuit *Gieſe* WEISBACH de *iure Vicariorum imperii cognoſcendi de cauſis feud. Imp. regalium* Altorf. 1733. apud IENICHEN *l. c. tom. I. p.* 847. *Frid. Wilh.* TAFINGER de *ſuprema in I. R. G. iurisdictione tempore interregni.*

CAP. II.

CAP. II.

De iuribus Vaſallorum Imperii ex feudo conſtituto deſcendentibus.

ARGVMENTVM.

§. 476. *Ius Vaſallorum Imp. ex feudo conſtituto in genere*
477. *circa alienationem feudorum imp.*
478. *circa refutationem*
479. *circa ſubinfeudationem et immutationem feudi imp. in ſubfeudum.*
§. 480. *Nata inde ſubfeuda territorialia et ſubfeuda Imperii.*
481. *Ius circa pacta et teſtamenta.*
482. *Speciatim circa pacta confraternitatis.*
483. *Remedia iuris tuendi et perſequendi.*
484. *Ius exigendi Protectionem Caeſaream.*

§. 476.

Iura *Vaſallorum imperii*, ex feudo conſtituto deſcendentia, determinantur tum per naturam *dominii vtilis*, tum per ius *feudale commune*, tum per *leges* et *obſeruantiam Imperii*. Quae ergo de iuribus vaſalli, ex feudo conſtituto oriundis, generatim expoſita ſunt *lib. I. cap. IV. V. VI. VII. VIII.* eadem valent de iuribus *Vaſallorum imperii*, niſi et his maiorem poteſtatem *lege* et *obſeruantia imperii* competere appareat.

§. 477.

§. 477.

Iura dominii vtilis in feudis imperii limitantur tum per *dominium directum*, Imperio *S. R. G.* competens, tum per *ius succedendi* omnium, in eiusdem feudi inuestitura comprehensorum. In *feudis Regalibus* tamen *ipsa obseruantia* (*a*) seruatum est iuris feudalis *Germanici* principium (§. 261.), dominium vtile, QVOAD EXERCITIVM tantum, limitatum esse per dominium directum (§. 253.): ideoque *ius alienandi* feudum in extraneum non tam *ademtum*, quam potius *ratione exercitii* restrictum esse ad Imperatoris consensum. Itaque *alienatio* vel *oppignoratio* feudi regalis eiusque partis, absque imperatoris consensu perafta, inualida et *inefficax* est *intuitu Imperii*, vbi feudum huic apertum fieri contingit, sed non *illicita*, nec *poenae* subiecta (*b*).

(*a*) Ad hanc *obseruantiam* redeunt, quae de *maiori Statuum Imperii libertate* circa alienationem feudorum exponunt ITTERVS de *feud. Imp. cap.* 23. §. 4. *f. Io. Andr.* FROMMANN de *oppignoratione feudorum regalium sine particulari consensu domini iure et moribus permissa* §. 29. in MOSERI *syntagmate differt. select.* diss. II. p. 80. MOSERVS *in R. H. P. tom. IV. cap. VII.* §. 2. 21. Et hoc forte sensu Statibus imp. in feudis *dominium validius*, *quam vtile*, *competere* dicit *Ge. Melch. de* LVDOLF. de *introd. iuris primogenit. Part. spec. aph.* 8. *p.* 16. *p.* 53.

(*b*) Exempla alienationum feudorum imp. occurrunt in *Originib. Guelf. tom. IV. in praef. p.* 41. *not. x. et p.* 241. quae inualidae declarantur, sed alienans *feloniae reus* non arguitur. De alienatione partis feudi

di vid. MOSERI tr. *von der Teutschen Lehns-Verfassung* *lib.* I. *c.* 12. §. 10. *de* STECK *in Obs. subces cap.* 50. de alienatione feudi Imp. sine consensu Imperatoris inualida quidem, sed in feloniae crimen non incidente.

§. 478.

Refutatio feudi Imp. in *fauorem proximi successoris* facta, valida est etiam sine Imperatoris consensu: facta vero in *fauorem tertii*, in inuestitura non comprehensi, interueniente demum *Imperatoris consensu* perficitur (*a*) (§. 258.).

(*a*) MOSER *R. H. P. tom. III. cap. III. §.* 861. *et tom. IV.* cap. 7. §. 50. 53.

§. 479.

Ius *subinfeudandi* feuda imperii eiusue partes, quoad per pacta familiae non restrictum est, tum *iuri communi* (§. 287.) tum *antiquae imperii obseruantiae* innixum (*a*), comprobatur vsitata *literarum inuestiturae* formula *mit Mannschaften und Lehnschaften,* qua complexus subfeudorum ad territorium pertinentium significatur. Ab hoc diuersum est ius *conuertendi feudum imperii in subfeudum*, idque alteri offerendi in subfeudum: quod exerceri nequit sine *imperatoris consensu* (*b*).

(*a*) *Christ. Gottl.* BVDERI progr. de *vetusta origine subfeudorum eorumque necessitate §.* 3.

(*b*) *Mich. Henr.* GRIBNER de *subfeudorum imp. quae olim immediata fuerunt, praerogatiua §.* 5. *Dan.* NETTEL-

TELBLADT de *oblatione feudi in ſubfeudum absque conſenſu domini inualida* §. 20. *Sine Imperatoris conſenſu* hanc feudi conuerſionem fieri poſſe exiſtimat *Io. Petr. de* LVDEWIG de *primo foro ſubfeudor. Imp. cap. II.* §. 2. in opuſc. miſcell. tom. I. p. 651.

§. 480.

Nata inde ſunt ſubfeuda duplicis generis (*a*), SVBFEVDA TERRITORIALIA, *quae ex bonis territorii, ab imperio infeudatis, alteri dantur in ſubfeudum, ſalua ſuperioritate territoriali*, et SVBFEVDA IMPERII, in ſpecie ſic dicta, *quae ex bonis Imperii immediatis, ab imperio recognitis, alteri dantur in ſubfeudum ſalua bonorum immedietate.* Illa ex *ſubinfeudatione*, haec ex *conuerſione feudi imperii in ſubfeudum* originem ducunt. In vtrisque *ſubdomino* competunt *omnia iura dominii directi*, ſalua ſubordinatione erga Imperium et Imperatorem (*b*).

(*a*) GRIBNER l. c. §. 2. *Io. Frid. a* FREISLEBEN de *mutatione domini in ſubfeudis Imp. absque conſenſu vaſalli inualida c.* 2.

(*b*) LVDEWIG l. c. *cap. V. et VI. Wenc. Xav.* NEVMANN *de* PVCHOLTZ de *iurisd. feud. et ſuperiorit. territ. in ſubfeudis imp.* diſſ. II. III. IV. V. apud IENICHEN *in th. iur. feud. t. III. p.* 505. MOSERI *Anmerkungen über den Teſcheniſchen Friedensſchluſs de a.* 1779. p. 179.

§. 481.

Quaecunque concernunt *iura* et *obligationes* vaſallorum, ad idem feudum vocatorum, inter

 ſe;

ſe; definiri poſſunt tam *pactis* eorum (§. 299.), quam *teſtamentis*, quoad haec iure communi condere integrum eſt (§. 294. 296. 297.), nec legibus imperii nec pactis familiae aduerſa ſunt (*a*). Inde pacta familiae *ſpecialem* praeſtant *normam* in iuribus et obligationibus vaſallorum inter ſe, etiamſi ab imperatore non ſint confirmata (*b*).

(*a*) PFEFFINGERVS ad *Vitriarium lib. II. tit.* 20. *§.* 17. p. 112. *Henr. Chriſt. de* SENCKENBERG in *prim lineis iur. feud. §.* 291. MOSERI *Staats-Recht tom. XVI.* p. 564.

(*b*) CAPITVLAT. *nouiſſ. art. XI. §.* 2. *Dabei auch dieſelbe mit der Edition der alten pactorum familiae nicht beſchweren, vielweniger die Reichs-Belehnung wegen erſtgedachter Edition der pactorum familiae (welchen jedoch, wann ſie nach denen Reichs-Grundgeſetzen auch habenden und gleichfals Reichsconſtitutionsmäſigen Kayſerlichen Priuilegiis aufgerichtet, durch dergleichen Belehnungen an ihrer Validität und Verbindlichkeit nichts abgehen ſoll) die ſeyn neue oder alte — aufhalten.* MOSERVS l. c. *lib.* 3. *c.* 82. §. 25. p. 472. *ſ.*

§. 482.

Quod ad *pacta confraternitatum* ſpeciatim attinet (§. 298.), in iisdem de *feudis imperii maioribus* ineundis eadem obſeruanda eſſe videntur, quae *iure nouo* conſtituta ſunt de concedendis expectatiuis (§. 448.) (*a*). Quae vero *olim* inter Status imperii inita ſunt pacta confraternitatis, ad horum confirmationem ſine difficultate impertiendam capitulatione ſe obſtringunt Imperatores (*b*).

(*a*) MOSERI *Staatsrecht lib.* 3. *c.* 85. *§.* 91. *f. tom. XVII. p.* 161. Eiusdem *Familien-Staats Recht c.* 13. *Wilh. Aug.* RVDLOFF de *pactis succeſſoriis illuſtrium ſpeciatim de iis, quae pacta confraternitatis appellantur.* Roſt. 1770.

(*b*) *Art. I. §.* 9. *Zuförderſt aber die unter Churfürſten Fürſten und Ständen aufgerichtete Erb-Verbrüderungen - - auf gebührendes Anſuchen ohne Weigerung und Aufhalt in beſtändiger Form confirmiren. Diſſ.* mea de *impedita feudor. conſolidatione §.* 22.

§. 483.

Vaſallis Imperii ad *tuenda* et *perſequenda iura ſua* eadem remedia iuris, iudicialia et extraiudicialia, competunt, quae tum iure communi prodita ſunt (§. 256.), tum ſpeciatim ex natura *feudorum regalium* iisdem, qua *Statibus Imperii*, debentur. Nec ius *tranſigendi* et *compromittendi* de his, quae iura et obligationes vaſallorum, ad idem feudum vocatorum, inter ſe concernunt, vlla lege Imperii adſtrictum eſt ad Imperatoris conſenſum, quoad nihil agitur aduerſus ius dominii directi (*a*) (§. 258.).

(*a*) Dubia proponit MOSERVS *R. H. P. tom. IV. cap. VII. §.* 29. *ſ.* et *Phil. Ad.* VLRICI de *feudorum regalium iudice in imperio §.* 62. *ſ.*

§. 484.

Vaſallis imperii tum vi *iuris communis* (§. 249.) tum vi *legum imperii* debetur *Protectio Caeſarea* in agnoſcendis iuribus, dignitatibus et praerogati-

vis eorumdem, iisdemque aduersus alios tuendis (*a*). Inter ceteros Imperii vasallos vero, *Principes Electores* in *praecipuo honore* et *auctoritate* apud se semper futuros esse, Imperatores decernunt (*b*).

(*a*) CAPITVL. *nouiss. art.* 1. *§.* 9. *art.* 10. *§.* 10.
(*b*) CAPITVL. *nouiss. art.* 3. *§.* 1. *art.* 16. *§.* 4.

CAP. III.

De Vasallo Imperii Impubere eiusque tutela feudali.

ARGVMENTVM.

§. 485. *Tutor feudalis quomodo constituatur.*
486. *An mater tutrix in feudis Imp.?*
487. *Datio et confirmatio tutoris feudalis.*
§. 488. *Officium eius in renouanda feudi inuestitura.*
498. *Administratio feudi ecclesiastici, minore ad Praelaturam promoto.*

§. 485.

Vasallo imperii intra aetatem impuberem et minorem constituto, locus est *tutelae feudali* (§. 301.): in qua in *feudis imperii* constituenda, eadem valent, quae supra (§. 305.) exposita sunt. Tutela *legitima* iure et ordine eodem, quo *succeditur*, defertur proximo feudi successori. Saluum tamen est

est vasallis imperii ius de tutela statuendi per *pacta familiae*, et per *testamenta* (*a*); indeque praeualent tutelae *gentilitiae* et *testamentariae*. Tutela *feudalis* Principum *Electorum*, et quae cum ea coniuncta est administratio electoratus ex dispositione *Aureae Bullae*, ac proinde ipso iure, est penes *proximum Agnatum Seniorem* (*b*).

(*a*) MOSERI *Stattsrecht tom. XVIII. c.* 89. §. 12. 13. 18. *Lud. Conr.* SCHROEDER de *principe imperii citra testamentum de tutela filii disponente Sect. III.* §. 43. *s.*

(*b*) A. B. c. 7. §. 4. *Io. Petr. de* LVDEWIG in *Comment. ad A. B. tom. I. p.* 721. *Henr.* COCCEII de *tutela illustrium c.* 4. MOSERVS l. c. *tom. XVII. c.* 86. *tom. XVIII. c.* 89. §. 10. Idem in persönlichen Staats-Recht lib. 2. c. 2. §. 58.

§. 486.

Mater secundum ius commune, ipsa *obseruantia imperii* agnitum, non modo *capax* est tutelae feudorum imperii, verum etiam intuitu tutelae eodem *iure praecipuo* pollet, quod ipsi datum est iure communi (*a*): nisi agatur de tutela vel *lege Imperii publica* (*b*), vel *pactis familiae* ordinata. Solet tamen matri tum vi *pactorum familiae* tum ex *obseruantia* adiungi tutor feudalis, nisi ipsa sola testamento data sit tutrix.

(*a*) PFEFFINGERVS ad *Vitriarium tom. VI. p.* 1145. MOSERVS l. c. *tom. XVIII. cap.* 90. §. 4. 6. *Ge. Melch. de* LVDOLF de *iure feminar. illustr. P. I.* §. 25. *s.*

(*b*) *A. B. cap.* 7. §. 4.

§. 487.

Ius *dandi* tutores, eosque iam conſtitutos *confirmandi* in feudis imp. eſt pars *ſupremae tutelae Imperii:* quod Imperator exercet per tribunalia Imperii. Quod cum ſoli iudicio Imp. aulico nulla lege imperii reſeruatum ſit, a Camera Imp. etiam exercetur (*a*). Tutela principum Electorum, quoad *lege Imperii fundamentali* iam ordinata eſt (§. 485.), ne confirmatione quidem indigere cenſetur. Ceterum in *ſubfeudis imperii* ius illud eſt penes *Subdominum* (*b*).

(*a*) Ord. *Camer. P. I. tit.* 34. *§.* 13. *de* CRAMER *tom. I. obſ.* 55. *§.* 4. 5. *tom. II. obſ.* 729. *de* HARPPRECHT *in Cammerger. Staats - Archiv tom.* 5. *p.* 126. MOSER *von perſönlichen Staatsrecht der Reichs - Stände P. I. lib.* 2. *c.* 2. *§.* 70.

(*b*) *Reichs - Fama tom. XIV. p.* 152. *Iac. Car.* SPENERI diſſ. *de tutela datiua ſubuaſallorum imperii.*

§. 488.

Tutoris feudalis eſt, *adminiſtrare* feudum imperii (*a*), et *vice* ac *nomine Vaſalli pupilli* vel *minoris* intra annum a tempore ſuſceptae adminiſtrationis petere *feudi renouationem*, in eaque recipienda praeſtare iuramentum fidelitatis. Accepta *a tutore* inueſtiturae renouatio perinde habetur, ac ſi ab *ipſo vaſallo pupillo vel minore* impetrata eſſet; ideoque vaſallus, *maior factus*, nec ad inveſtituram iterum petendam nec ad iuramentum fidelitatis praeſtandum obſtringitur (*b*).

(*a*) Mo-

(*a*) MOSERVS t. c. *tom. XVIII. cap.* 96. *§.* 6. *p.* 367.

(*b*) CAPITVLATIO Caroli VI. et Nouiſſ. art. XI. §. 5. 6. *Wann auch ein Churfürſt, Fürſt, oder ſonſt ohnmittelbahrer Stand und Lehen-Mann des Reichs mit Tod abgehet, und minderjährige Lehens-Erben ſiue puberes, ſiue impuberes hinter ſich verläſſet, ſo ſoll der Vormünder oder die Vormündere nach angetretener würklicher adminiſtration der Tutel oder Curatel, ihr, der minderjährigen, vom Reich habende Regalien und Lehen innerhalb Iahr und Tag würklich ſuchen, und bey der darauf folgenden Belehnung das gewöhnliche Iuramentum fidelitatis ablegen und die Gebühr entrichten: an welche der Vormünder Empfahung und eydliche Verſprechung die Minderjährige ſelbſt, nach erlangter Pubertät und reſpectiue Majorennität dergeſtalt gebunden ſeyn ſollen, als wenn ſie, Minderjährige, berührte Regalien und Lehen nach übernommener Regierung ſelbſt empfangen und den Lehens-Eyd erſtattet hätten. Dargegen ſollen und wollen wir ſie, Minderjährige, nach erlangter ihrer Pubertät oder Majorennität zu anderwärtiger Empfangnis ſolcher Lehen und Regalien, wie auch Lehens-Eyd, nicht, vielweniger einer gedoppelten oder weitern Entrichtung des Lehens-Taxes anhalten.* Iuris, olim obtinentis, rationes exponit ITTERVS de *feud. Imp. Cap.* 9. *§.* 18.

§. 489.

Adminiſtratio feudi Imperii *eccleſiaſtici*, *ſede vacante*, demandata eſt *capitulo* (*a*): cuius tamen nec *ius* nec *obligatio* eſt ad *renouandam inueſtituram*, etiamſi eccleſia vltra annum vacet (*b*), eo quod haec ſit *prouaſallo* deſtituta. Quodſi *minorem* ad epiſcopatum vel praelaturam promoueri et ſic *ſedem plenam* per aetatem impediri contingat: adminiſtratio *feudi eccleſiaſtici iure communi* non pertinet ad capitulum, ſed *vi prouiſionis ſpi-*

ritualium et temporalium, *Pontifici* relictae (*c*), ab eodem ordinari solet inter *Catholicos* (*d*). Inter *Protestantes* administratio *feudi ecclesiastici* aestimanda est ex analogia administrationis *feudi secularis*, ideoque ei debetur, cui vasallus minor vel iure *patriae potestatis* vel *iure tutelae* subest.

(*a*) *Instr. Pac. Westph. art. V.* §. 17.

(*b*) *I. Ad.* de ICKSTADT in *vindiciis iur. Caesarei inuestiendi* §. 13.

(*c*) *c.* 3. X. *de supplenda praelat. neglig. in* 6. *Prosp.* FAGNANVS in Comment. ad *Decretal.* tit. de *concess. Praebend. c.* 5. *n.* 29. 30. MOSERI *Staats-Recht tom. XI. cap.* 43.

(*d*) PHILIPPO, trienni, Episcopo Ratisbonensi electo, administratio *temporalium regaliumque episcopatus* a Sixto V. commendata est Patri WILHELMO, *Bauariae Duci* a. 185. Vid. HVNDIVS ad *Gewoldi Metropolim Salisburgensem tom. I. p.* 149. 185.

(*e*) Cum *Mauritius Wilhelmus* a. 1694. in aetate minore electus esset episcopus Merseburgensis: Elector Saxoniae, iure aduocatiae et protectionis *indultum feudale* impetrauit a LEOPOLDO *Imp.* LVNIG *Arch. Imp. tom. VIII. p.* 706. MOSER *in persönlichen Staatsrecht der Reichs-Stände P. I. lib.* 1. *c.* 3.

CAP.

Cap. IV.

De obligatione successoris in feudo Imperii erga alios.

ARGVMENTVM.

§. 490. *Obligatio successoris ex debitis antecessoris.*
491. *Obligatio ad debita feudalia,*
492. *ad debita in decus familiae praestanda.*
§. 493. *Successor feudalis quatenus simul Successor in allodio.*
494. *Separatio feudi ab allodio.*

§. 490.

In definienda obligatione Successoris *Filii* et *agnati*, ex *debitis* allodialibus Antecessoris in feudo imp. normam praestant tum ius *feudale Longobardicum* (§. 311. 313. 443.) tum *pacta familiae*. Accedit in *territoriis infeudatis* ratio specialis, quod quilibet *successor in territorio* ex eis teneatur, quae ab antecessore *nomine territorii* et intra *limites potestatis territorialis* acta sunt (*a*).

(*a*) *Io. Vlr. de* CRAMER de *obligatione successoris in territorio Germaniae tom. IV. Opusc. XIV.* p. 387. f. *Io. Frid. Lud. de* BERGER *opusc. miscell. iur. publ. p.* 224. WERNHERI *sel. obs. For. P. V. obs.* 161. *P. X. obs.* 377. 469. MOSERI *Staatsrecht tom.* 24. *c.* 129. *Sect. V. §.* 21. p. 185. Idem *von Reichsständischen Schuldwesen, tom. I. et II.*

§. 491.

Debitis *feudalibus* ex iisdem rationibus, quae iure communi interueniunt (§. 314. f.), maxime ex *consensu* interposito vel ex *versione in feudum* obstringitur successor in feudo imperii, eaque saltem ex *fructibus feudi* (a) soluere tenetur.

(a) GAIL *lib. I. obs.* 117. *n.* 5. 7. *Io. Frid.* KOBII *comment. de pecunia mutuatitia tuto collocanda §.* 99.

§. 492.

Ad ea, quae in decus familiae filiis postgenitis *appanagii* nomine, nec non *filiabus* et *viduis* praestanda sunt, interuenit specialis successoris feudalis obligatio tum ex natura *iuris primogeniturae*, vi cuius satisfaciendum est postgenitis a successione exclusis, tum ex indole speciali *feudorum Imperii*, quibus admixta sunt *allodia*, tum ex *obseruantia Imperii*, tum ex *pactis familiarum* illustrium (a).

(a) *Ge Melch. de* LVDOLF *introd. iur. Primog.* Part. spec §. 12. et de *iure feminar. illustr.* P. II. c. 2. §. 5. p. 100. *Burch. Gotth.* STRVVII *iurispr. heroica P. III. c.* 3. MOSER l. c. *tom. XXII. c.* 113. *Io. Vlr. de* CRAMER *Opusc. tom. I. opusc.* 3. *p.* 45. *f.*

§. 493.

Si feudis imperii *successionis causa* et in decus familiae vnita sunt *allodia:* successor in feudo, quousque vel ex eadem gente vel saltim ex eadem

dem linea ſuperſtes eſt, *iuxta legem et obſeruantiam familiae* ſimul ſucceſſor eſt in allodio (§. 394.).

§. 494.

Separationi feudi Imperii ab allodio non prius locus eſt, quam vbi iuxta *legem et obſeruantiam familiae* alius in *feudo* et alius in *allodio* ſucceſſor eſt. In hac ineunda eadem valent, quae ſupra expoſita ſunt (§. 338. 349.) (*a*): niſi quod quae ratione *fructuum* et *meliorationum* obtinent iure communi, locum non habeant in *territoriis infeudatis;* cum fructus, *iure territorii* percipiendi, ad *ſucceſſorem in territorio* pertineant (*b*), et meliorationes ex *reditibus territorii* factae praeſumantur (*c*).

(*a*) De modo eam ineundi vid. MOSERI R. H. P. *tom. IV. c.* 9. STRVVIVS *de allodiis Imp. p.* 680.

(*b*) SCHILTER in *prax. Iur. Rom. cap.* 4. *coroll.* 9. ITTERVS de *feud. Imp. c.* 24. *§.* 14.

(*c*) *Io. Frid.* RHETIVS de *transmiſſione terrarum Germaniae in ſucceſſores cap. III.*

SECTIO

SECTIO III.

De modis amittendi et finiendi feuda imperii.

ARGVMENTVM.

§. 495. *Modi feudum amittendi et finiendi.*
496. *Felonia vasallorum Imp.*
497. *Ius Imp. antiquum in felonia vasallorum, Statuum Imp.*
498. *An aestimari queat ex iure Longobardico.*
499. *Ius speciale in causa feloniae Vasallorum imp. maiorum.*
500. *Poena priuationis ad quos pertineat?*
501. *Ius circa consolidationem feudorum Imp. apertorum*
502. *et circa appropriationem.*

§. 495.

Nexus feudalis inter Imperium et vasallos Imp. dissoluitur tum *priuatione feudi* ob feloniam, tum *modis finiendi feudum* (§. 349.).

(*a*) CAPITVLAT. *nouiss. art. XI. §.* 10. *Wenn auch ins künftige Lehen dem Reich durch Todes - Fälle oder Verwürkung eröffnet oder heimfallen werden.*

§. 496.

Feloniae rei fieri possunt vasalli Imperii violatione fidelitatis vasalliticae, *Imperio S. R. G.* et *Imperatori, qua tali*, debitae (§. 470.).

§. 497.

Priuatio feudi ob feloniam non incognita eſt in Imperio R. G. *ante ius Longobardicum receptum.* Locus ei fuit ob *fidelitatem* vel *delicto* vel inſigni *contumacia* violatam; eamque ſtatuere moris fuit praeuia *proſcriptione* ſeu declaratione in bannum imperii: nec illa aduerſus *Status imperii* iure decerni potuit, quam ſententia Imperatoris in *Iudicio Principum* lata (*a*). Hinc, intuitu vaſallorum imp. maiorum, eodem cenſu habentur *iudicia proſcriptionis et banni* imp. et iudicia *feloniae* et *priuationis feudorum.*

(*a*) *Io. Baſ.* KVCHELBECKER de *iure et modo cognoſcendi de feud. imp. cap. I. Henr. Chriſt. de* SENCKENBERG de *iudiciis principum*, *in praefamine §.* 5. II. PFEFFINGERVS *ad Vitriarium lib.* 2. *tit. I. p.* 938. *ſ.* Conf. diploma HENRICI IV a. 1086. de priuatione feudorum imp. aduerſus Ecbertum, Marchionem, ex *ſententia principum* decreta in *Originib. Guelf. tom. IV. p.* 419. et diploma WILHELMI R. R. a. 1254. quo Gunzelinus de Peina ob contemtum Caeſareae Maieſtatis proſcriptus, bonisque omnibus, quae ab Imperio in feudum habuerat, *principum imperii dictante ſententia*, privatus eſt ibid. *tom. IV. p.* 240.

§. 498.

Iure Longobardico in *tribunalibus Imperii* recepto, cauſa feloniae eiusque poena intuitu *Vaſallorum imperii minorum* in iisdem ex communibus iuris feudalis regulis aeſtimari coepit. Deficit haec receptio intuitu cauſarum feloniae, *Status*

Impe-

Imperii concernentium; eo quod inter perpetua ſtudia Statuum imp. de *Iudicio Principum* in his cauſis conſeruando, nec non inter *grauamina* adverſus cognitionem tribunalium imperii mota (*a*), ne *tacitus* quidem eorum conſenſus interueniſſe dici queat in *ius peregrinum* in hoc argumento recipiendum (*b*).

(*a*) *Lud. Bernh. L. B. de* ZECH *de proſcriptione Statuum Imp. ad illuſtr. art. XX. Capitul. Carol.* §. 7. 8. *Inſtr. Pac. Weſtph. art. VIII.* §. 3.

(*b*) *Iac. Car.* SPENERI *examen Longobardicae doctrinae de felonia ad Status imp. communiter applicatae.* MOSERI tr. *von der Teutſchen Lehns-Verfaſſung lib.* I. *c.* 13. §. 5. 6.

§. 499.

Itaque in cauſis feloniae *Statuum imperii* ſervatum eſt *ius domeſticum Imperii*, vt I. *Vaſalli Imperii Maiores* non niſi ex cauſa feloniae, *legibus et obſeruantia Imperii* determinata (*a*), nec aliter quam II. ſententia imperatoris, *ex Statuum imperii conſenſu* lata, feudis priuari poſſint (*b*). Forma huius iudicii *capitulatione Imperiali* in hunc modum ſub *lege nullitatis* definita eſt (*c*), vt cauſa prius in *iudicio Imp. aulico* inſtructa, et ad *Comitia Imperii* delata, per *deputatos*, aequali quoad *religionem* numero ex vnoquoque *Ordinum* collegio nominatos, cognoſcatur, et expoſito ab his *voto*, *comitiali Statuum ſententia*, *Imperatoris* auctoritate publicata, dirimatur (*d*).

(*a*) *Pax*

(a) *Pax Profana a.* 1548. *art.* 3. *Ordin. iud. Camer. P. II. tit.* 9. *§.* 2. *A. B. tit.* 14.

(b) CAPITVLAT. *Caroli VI. et nouiss. art. XX. §.* 2. 3.

(c) CAPITVLAT. cit. *art. XX. §.* 10. *Conclusum Corporis Euangelicorum d. d.* 29. *Nou.* 1758.

(d) CAPITVLAT. cit. §. 3. 4. 5. *L. B. de* ZECH in cit. diss. §. 19. s.

§. 500.

Poena priuationis feudorum imperii *capitulatione Imperiali* reuocata est ad iustitiae rationes (*a*), vt non nisi *feloniae reum* teneat, nec *agnatis* nec aliis, quibus *ius in feudo* vel saltim *expectatiua* competit, et qui feloniae participes facti haud sunt, damnum iuris inferre debeat: cuius *dispositionis vi et potestate* id simul decisum esse censetur, vt nec *filiis innocentibus* auferri queat ius succedendi ex *pacto et prouidentia maiorum* competens (*b*).

(a) CAPITVLAT. *nouiss. art.* 20. *§.* 8. *gestalten im H. R. Reich bey verwürckten Gütern des Aechters desselben Verbrechen denen agnatis und allen andern, so Anwartung und Recht daran haben, und sich des Verbrechens in der That nicht theilhaftig gemacht, an ihrem iure succedendi in feudum und Stamm-Gütern nicht praeiudiciren, sondern das principium, als ob agnati innocentes, propter feloniam des Aechters, des dadurch verwürckten Lehens und anderen zu priuiren, keinesweges statt haben soll.*

(b) *G. Melch. de* LVDOLF de *iure primog. Part. spec. §.* 17. *not.* 3. *p.* 100. *Ioach. a* RVSDORFF in *vindiciis causae Palatinae c.* 15. *§. Ern Christ* WESTPHAL *de effectu feloniae quoad successores feudales legitimos innocentes §.* 37. *s.*

§. 501.

§. 501.

Quod ad modos *finiendi feudum* attinet, feuda imperii iuxta principia fupra (§. 360. f.) expofita, aperta fiunt S. R. Imperio (*a*). Ius *confolidandi* vel *reinfeudandi* quoad *feuda Imperii minora* eft penes Imperatorem, et quoad feuda imperii maiora penes *Imperatorem* et *Status imperii* fecundum modum fupra (§. 405.) traditum: nifi confolidatio ex ratione fpeciali impediatur; id quod intuitu *Electoratuum vetuftiorum* contingit per *difpofitionem Aureae Bullae*, et intuitu ceterorum imperii feudorum per *expectatiuas* et *pacta confraternitatis* (*b*).

(*a*) CAPITVLAT. *nouiff. art. XI. §.* 10.
(*b*) *A. B. c. VII.* Diff. mea *de impedita feud. confolidatione cap.* 2. §. 14.

§. 502.

Appropriationi (§. 368.) in feudis Imperii *maioribus* locus effe nequit, nifi ex *confenfu Statuum imperii* (*a*). Neque imperator *refutare* dominium directum poteft in vafallum (§. 469.): nec *vafallus* dominium directum acquirere poteft vlla *praefcriptione*, legibus imperii videlicet, eam impedientibus, perpetuo interrupta (*b*).

(*a*) CAPITVLAT. *nouiff. art. XI. §.* 10.
(*b*) CAPITVLAT. *nouiff. art. X. §.* 6. 7.

APPEN-

APPENDIX DOCVMENTORVM

INFEODATIONEM ILLVSTRANTIVM.

I.

FRIDERICVS II. OTTONI, *cognomento* PVERO, *vi oblationis, in feudum dat Ducatum Brunſuicenſem et Luneburgenſem a.* 1235. *Ex Originibus Guelficis Tom. IV. p.* 49.

In nomine ſanctae et indiuiduae Trinitatis. FRIDERICVS ſecundus, diuina fauente clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Ieruſalem et Siciliae Rex. Glorioſus in maieſtate ſua dominantium Dominus, qui regna conſtituit et firmauit imperium, de cuius clementia viuimus, de cuius eſt munere, quod feliciter imperamus; ad hoc nos ſupra Reges et regna praepoſuit, et in Imperiali ſolio ſublimauit, vt nobis factori noſtro gratitudine deuota ſubiectis, pacem et iuſtitiam moderamina noſtra contineant, et qui ſumus prae filiis hominum ab eo, qui praeminet orbi terrae, ſublimius exaltati, viros dignos honoribus et non immeritos ad ſolicitudinis partem admitti, liberaliter ad decus et decorem imperii nominis et honoris titulo decoremus. Hinc eſt ergo,

 quod

